cam quibusdam exponere diceretur; adeòq; nugis, & peculia-
A ribus litteris studere. Unum namq; os Jovis, & Christi laudes non capere, & nefandum esse Episcopis id canere, quod nec religiosum laicum deceat, ex quibus patet illum Grammaticæ nomine Poetarum profanorum interpretationem intellexisse.

Francisci Petrarchæ ætate poeticum nomen ita exosum erat, ut qui illa studia sequeretur, magus, fortilegus, hæreticus diceretur, quidam Marcus Picenus de Solipodio oriundus, frater Ordinis Prædicatorum, temerario aulu nonnullis humaniorum litteratum studiosis iniicere manus tentavit. Sed cognita illustrium hominum scientia, Solipodius explosus est: neque tamen sine labore se purgavit Petrarcha, *Hier. Squarzafi. in ejus vita.*

* Faustus Andrelinus Poeta his versibus contemptum, & despectum Poetarum deplorat.

Dispereant Latiæ steriles mea castra Camœnæ,
Dispereat faliax numen Apollo tuum.
Jam sat Arenosis commissimus hordea sulcis,
Tutaque sunt vano sat mea colla fuco.
Tota fuit stulto consumpta labore juventa,
B *Pascere ut vatem vita beata senem.*
Invidia amicis properat, nil Phœbe propinas!
Nihil mihi dat Helicon, Pegasus unda nihil.
Coccina fert humeris, & ferica quæque satelles,
Et Pathicus leno, Pharmacopola, cocus.
Horum est quicquid nunc auditur in orbe monetæ,
Nihil aliud vates, quàm benè dixit, habet.

Et rursus:

Vix dederat placidam membris nox atra quietem,
Cynthius eli nostro visus adesse thoro:
Et mihi Daphnæa cinctus sua tempora lauro
Edidit hæc mœsto Fuchsmage verba sono.
Quid sequeris nostras vates miserande sorores,
Quid tua Cæsareis laudibus ora teris?
Carmina da Scombris, doctas tam linque Camœnas,
Spongia sit multis versibus una satis.
Præmia nulla refert scriptor: vix tanta Poetæ
Æra sonant tenues comparet unde libros.
Nullaque nunc curat Fridericus carmina: rarus
C *Cæsarea vates nanc ope dives erit.*
Vis tuæ Rhenenses repleant marsupia nummi,
Vis tibi perpetua templa parare fide.
Vade citò domini fornaci lingua minisves:
Solus habet Vestri Cæsaris Haytzer opes.
Consule jam misero (si quæ est via) consule vati,
Qui mea nunc solus carmina sæpè vocas,
Sed quænam Phœbi melior sententia, tam te
Lincia, vel linquam, vel calefactor ero.

* POETICÆ, ET POETARUM HIEROGLYPHICA.

Ægyptii Sacerdotes poesin exoticam (nam de sua sanctius sentiebant) significaturi, *Polypi caput* effingebant: quod quidem esculentis appositum suavissimi saporis, ganeæque jucundissimum esse perhibetur: cæterùm horrenda, prodigiosaque somnia parare deprehensum est. Persimilem autem huic poeticen esse dictitabant, quæ fabulas, amatoriasque illecebras sectaretur, ipso quidem dicendi lepore delectabile, sed bonis moribus, & honestiori disciplinæ maximè perniciosas. *Pier. Valer. lib. 27.*

Boni quoque Poetæ symbolum est *Cygnus*. Nam veluti Cy-
D gni senio confecti, argutioribus ob gutturis exilitatem organis effectis, suaviorem simul, & vocaliorem emittunt vocem: ita etiam boni poetæ, quo magis per ætatem profecerunt, scribere itidem solent elegantius, & sapientius. *Idem l. 23. c. 2. circ.*

Omnium autem consensu receptum est per *apis* hieroglyphicum poeticam intelligere amœnitatem, ut *Hor. l. 1. ep. 19. Fidis enim manare poetica mella Tesolum, tibi pulcher*, & ut ait Varro, Apes causa Musarum dicuntur esse volucres, quod si quando displicatæ sunt, cymbalis, plausibus, & numeris reducuntur in unum locum. Mel propterea, quod dulcedine præstat, magnoque apum labore conficitur, vim, artem, diligentiam partarum significat. Hinc Lyricus vates *lib. de arte poetica*:

Vos ô! Pompilius sanguis, carmen reprendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, & quod
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Ipse autem de se canit *carm. lib. 4. od. 2.*

Ego apis Matinæ more modoque,
Reliqua vide apud Pierium Valer. lib. 26. c. 5.

Lascivos autem poetas, & insulsos versificatores Adaman-
tius, Origenes, & alii ranis coaxantibus appositè compararunt. Nulli enim rei rana idonea, vel utilis comperitur, nisi quod E
improbis, & importunis clamoribus ad negotiosorum, atque otiosorum simul fastidium, usque obstrepat. Quid autem improbius, vel magis importunum carmine impuro, ridiculo, barbaro, vel Volusianos annales referente? Aliter sentit *Pierius*, malos poetas à laudatis haud distinguens *l. 29. c. 43.*

Quod verò poetis *Hedera* deserneretur, ut *una cum lauro* coronam eorum perficeret, non tam perpetuus utriusq; virtus, qui diuturna eorum opera significaret, in causa fuit, quam ut ostenderetur, eos, qui digni hederis evasissent, laureamque meruissent, & ingenio, & arte præcelluisse. per laurum enim insita ingenio vim, ac venæ fœcunditatem Apollinis irradiatione locupletem intelligebant; per hederam verò artem, & industriam, pervigili labore partam. Cujus rei indicium, quod hedera suapte vi admodum imbecilla humi semper reperet, neque se unquam attolleret: pertinaci tamen labore, artificiosoque conatu pervincit, ut vel arboribus, vel parietibus adhærescens, paulatimque irrepens, suprà omnium fastigia victrix evadat, ut supremo in vertice dominetur: utroque enim opus est, si quis velit excellere: nisi verò excelluerit, nihil quid- F
quam profecit, quia, *teste Horatio de arte poetica:*

—— mediocribus esse poetis
Non homines, non alii, non concessere columna.

Idem eodem libro:

—— Ego qui studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.

In eandem sententiam cecinit Pindarus, poetas lacte simul, & melle pasci: quorum lac naturam facundiæ ubertate affluentem, mel artem, laboriosumque proficiendi conatum ostendit. *l. 51. cap. 18.*

Philostratus l. 1. Iconum de Phaetonte, de Cygnis, ait leni, atque in congruo itinere ad cantum favonio vento utuntur, & *Greg. Naz. in epist. ad Celeus.* loquacitatem improbans, & contra commendans taciturnitatem hæc habet: Sed nos, quorum gratia quispiam vel insolitudinem concesserit, ut musicam audiat, si quando Zephyro spiranti alas nostras permiserimus, jucundum quid & concinnum modulantur. Præfert autem eo loco Cygnorum suavem, quam vis rarum, G
cantum, hirundinum intempestivæ garrulitati, ac introducit Cygnos eo modò hirundinibus respondentes. Hieroglyphicon illud Viris literatis, & doctis convenit, præsertim Poetis, quibus ad sua studia profequenda, & excolenda, doctrinaque monumento præclara elaboranda, opus est Mecœnatum favore, & auxilio, quibus ad omnia reddantur alacriores juxta dictum illud:

Sint Mœcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Et Seneca in Hyppolito:

Ingenia melius recta se in laudes ferunt;
Si nobilem animum vegeta libertas alit,

Et Neotericus quidam scripsit:

Dulcisonum mollis Zephyrus demulcet olorem,
Et votum stimulat pectora dives honos.

POLITIA. POLITICA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

POlitica, πολιτικὴ, civilis scientia, *Cic. in Rhet.* civilitas. *Quintil.* Civilis facultas. *Arist. in Polyt.* πολίτης, civis, popularis, municeps, πολιτικὸς, civilis, ἀστὸς, Reip. gerendæ peri- H
tus, civilibus negotiis implicitus, publicarum, privatarumque rerum administrationi accommodatus.

Vitam autem civilem definit *Lipsius in suis politicis*, illam, quam in hominũ societate, mixti degimus, ad mutua cõmoda, sive usum. Eique duos comites, sive rectores tribuit, Prudentiã & Virtutem. Hæc enim est, cui omnia parent, quæq; proprium bonum hominis. Illa est, quæ clavum dirigit civilis vitæ.

Politia est ordo quidam incolentium civitatem, in dominatione, & subjectione consistens. *Arist. l. 3. politic.*

Politia est architectonica omnium artium mechanicarum, & doctrinarum moralium. *Albert. Magn. Ethic. c. 1. l. 7. c. 8.*

* ORIGO POLITICÆ, ET PROGRESSUS.

Politica societas originem traxit à Deo, & natura hominis: quia ad societatem homo natura lege, atque instinctu fertur, tanquam à causa impellente interna, ad quam deinde accessit movens externa, nempe vitæ commoditas, propter quam homines in societatem convenerunt.

Humana societas certis gradib. ac progressionibus minorum societatum ad majores pervenit: ita ut idem, ut eum primo
omnium

omnium sola foret societas inter maritum, & uxorem, posteà
A etiam tota domestica societas coaluerit, & ex domesticis societatibus integræ familiæ gentilitiæ, quibus & extraneæ adcitatibus integræ familiæ gentilitiæ, quibus & extraneæ adcitatibus integræ familiæ gentilitiæ, quibus & extraneæ additæ sunt, sic ut distinctis locis habitantes primùm vicos, deinde pagos, post oppida, & urbes, denique provincias, & regna constituerunt.

* FORMÆ, ET STATUS VARII. IN GENERALI.

Status politici, sive Reip. septem formas docti tradunt. Harum tres vocantur simplices, nempe Monarchia, Aristocratia, & Democratia. Reliquæ quatuor mixtæ nempè ex tribus temperatæ dicentur. Prima ex omnibus tribus simplicibus, secunda ex Monarchia Aristocratia, tertia ex Monarchia Democratia, quarta ex Democratia, & Aristocratia composita censetur.

Primus, & perfectus status is est, in quo unus regit, cæteri parent. Is dicitur Monarchia, quoniam in unitate consistit, & multitudinem subditorum reducit ad naturalem unitatem. Status est politicus maximè ordinatus, faciliusque finem Reip. propositum assequitur: quia facilior ibi est gubernatio, sive spectes intentionem consiliorum, sive eorundem executionem, atq; adeò si attendas legum promulgationem, vel observationẽ.

Est item Monarchia Reip. status omnium firmissimus, &
B maximè diuturnus: quia nempè maximè unus, & ordinatus est, quod autem maximè unum est, difficulter dividitur: quia unũ maximè repugnat divisioni, sive multitudini, quæ divisionis est mater. At si consideretur non quidem id, quod sua natura præstantius est, fed quod humanæ vitæ, nec non imbecillitatum humanarum respectu utilius est, sive optabilius: non semper aliis Reip. formis Monarchia præferri debet, quia imbecillitas humana non semper concedit, ut unus aliquis reperiatur, qui cæteris omnibus, quos regere debet, virtute sit præstantior. Et si datur, non datur, quod semper vivat.

Pro diversitate objectorum, Monarchia vel est angustior, vel latior, atque enim tantùm in provinciis, & regnis est monarchia, sed etiam in urbibus esse potest, prout olim urbes omnes sub Monarchia fuerunt. De persona, & moribus Monarchiæ hic nobis indicimus silentium, ut & de successione, electione, & inauguratione ejusdem: nec non de regni legibus politicis, de monarchiæ administris variis: de specialì cura Principis circa subditos in genere, & in specie: de judiciis, præmiis, privilegiis, immanibus de redditibus, de aula monarchæ, de subditis. Item de causis primis mutatio-
C num in Rep. de bellis, de religione, &c. Quæ omnia prolixam considerationem desiderant.

Status politicus imperfectior is est, in quo plures simul imperant, qui status polyarchicus dicitur. Polyarchia autem eatenus est laudabilis, quatenus habet in se similitudinem, & repræsentationem monarchiæ, atque adeò quatenus illi plures, qui imperant reducuntur ad justam unitatem, & sunt inter se unanimes, atque concordes. Est autem status polyarchicus simplex, vel Aristocraticus, vel Democraticus.

Aristocratia, sive status Optimatus est, quando conjunctim, & individuè aliquot excellentioribus datur imperium, & jus majestatis in reliquos singulos, & universos. In hoc statu virtus imperantium maximè spectanda est, quæ nisi constanter servetur, statim labescit Reip. forma, & in Oligarchiam, vel Monarchiam mutatur.

Democratia est status Reip. quando populi, sive civium, vel universorum, vel magnæ partis nomine, quidam alternatim cæteris omnibus singulis, & universis imperant, & secundùm usitata suffragia jura majestatis, summamque potestatem obtinent. Is status maximè omnium mutationibus est obno-
D xius. Nam si magistratus affectat Ochlocratiam, vel Monarchiam, tum necesse est mutare Democratiam formam: quia ratione hac populi robur per fraudes occultas minuitur. Quando etiam divites, & potentiores aliquot in populo rapiunt ad se imperium exclusis pauperibus, tunc Democratia in Timocratiam convertitur.

Universo populo justè per delectos suos gubernanti opponitur Ochlocratia, quæ in Anarchiam seu status eversionem definit: de qua Xenophon, & Plato lib. de Athenienſium Democratia conqueruntur: & res ipsa in populo Rom. per seditiosos Tribunos plebis agitata monstravit sæpissimè. Mixtas Reip. formas intactas relinquimus.

Omnium æquissimam Politiam censuit Isocrates, quæ principem locum cuique præstantissimo defert: secundum illi, qui est à proximo. *Ad Nicol.*

☞ *Vide infrà Tit. particularem de forma Politiæ.*

POLITIÆ IN UNIVERSUM ORTUS, INSTITUTIO, CONSTITUTIO.

Thucyd. Xenoph. Arist. Diod. lib. 15. & Plutarch. Uno con-
L. B. Theat. vit. Human. Tom. VI.

sensu tradunt, Athenienses cum Lacedæmoniis annos amplius
xxx. gravissima bella gessisse, ut alteri populares, alteri opti- E
matum status in tota Græcia stabilirent. Tandem victis Athenienſibus, Lacedæmonii statum popularem everterunt, optimates triginta, qui tyranni sunt appellati, summo imperio præfecerunt. *Joan. Bodin. Methodi hist. cap. 6.*

Themistocles bello Persico confecto, Piræum commoditate animad versa portus extruxit, totamque urbem ad mare accommodavit, contrariam quodammodo sectam in civitate, ac veteres Athenienſium Reges instituens. Illi enim, ut fertur, intendentes revocare à mari cives, atque ad relinquendas naves, colendumque assuefacere agrum, dissipaverant illam de Pallade fabulam ambigente: de illa regione Neptuno, cùm ostendisset judicibus olivam, causam eam obtinuisse. At Themistocles, non, ut comicus, ait Aristophanes, urbi commisit Piræeũ immò urbem annexuit Piræeo, & terram mari, quæ res vires populi aluit contra optimates, eumque audacia inflavit, omni ad Nautas hortatores, & gubernatores redundante auctoritate. Unde suggestum, qui erectus in Pnyce erat, ut spectarent mare, converterunt, post terram versus triginta tyranni, imperium maritimum rati gignere populi potentiam, & paucorum principatu minus offendi agricolas. *Plut. in Themist.* F

Cimon Miltiadis semper populum refrenavit. Verùm postquam iterùm ad bellum gerendum navigavit, tum semel effrenis plebs, duce Pericle, confuso præsenti Reip. ordine, inveteratoque jure, quo fuerat ad eam diem usus, eripuit duce Ephialte Areopago judicia, paucis demptis, omnia, omnibusque tribunalibus ad nutum suum revocatis, Remp. potentia Periclis, qui partes sectabatur plebis, in meram demersit populi ditionem. Quapropter in Cimonem, qui à remersit populi ditionem. Quapropter in Cimonem, qui à reditu ob auctoritatem illius consilii fugillatam stomachabatur, & reducere iterùm eò enitebatur causas, illamque sub Clistene restituere optimatum potentiam, conspiratione facta, insurrexerunt. *Plut. in Cimone.*

Liberatis à tyrannide Dionisii Syracusis, accersiverat Corinthios Dion, quam in mente habebat, facilius illis præsentibus constituturum se Reip. formam sperans. Meditabatur autem effusam populi potestatem (quòd ea non Respub. sed Rerumpublicarum esset, ut ait Plato, nundinæ) coercere, & Laconicam quandam, Creticamque mistam formam ex populari arbitrio, & regno, in qua optimatum jus esset, hique præsiderent, & maxima quæque dispensarent, temperare, & concin- G
nare: cùm Corinthios quoque Remp. cerneret per optimates procurare, ne multa negotia tractare apud populum. At in mediis conatibus à Callippo Athenienſe per dolum interfectus est. *Plutarch. in Dione.*

Ann. 337. mortuo Constantino Magno, Constantinus Junior Galliæ, Hispaniæ, & Britanniæ: Constans Illyrici, Africæ, & Italiæ: Constantius Thraciæ, Asiæ, Ægypti, & Orientis Imp. ex patris testamento. Constantinus, dum Constanti Pannoniam eripere conatur, acie cæsus est, tertio imperii anno.

Constantius Chlorus à Maximiano, & Galerius à Diocletiano adoptati, imperium commune diviserunt. Constantio occidens, hoc est, Italia, Africa, Gallia, Hispania, & Britannia obtigit: Galerio Asia, Oriens (hoc est, Syria, Armenia, Arabia & Mesopotamia) Ægyptus, & Illyricum (videlicet, Thracia, Mœsia, & Dacia, Pannonia, Macedonia, Græcia, & Dalmatia) Constantinus tamen Galerio Italiam, & Africam ultrò dimisit. Galerius duos filios Cæsares cooptavit: Severum Italiæ, & Africæ, Maximum Orienti, Asiæ, & Ægypto præfecit: ipse sibi Illyricum reservavit, *Sigonius.* H

POLITIARUM CONSERVATIO.

QUOMODO FIAT. PUTA.

Legibus, Tabulis novis.

Solon Athenienſis Legislator Σεισάχθειαν legem scripsit, quasi tu dicas oneris abjectionem. Ea sanxit, ut debita remitterentur, & ne quis fœneraret deinceps in corpus. Androtion non condonatione æris alieni, sed usurarum allevatos moderatione acquievisse pauperes, atque hoc beneficium Novas tabulas nominasse, gratumque fuisse scribit, quæ simul huic adjuncta fuerunt, mensurarum augmentum, & monetæ pretium. Quippe minam, quæ fuerat antè septuaginta, & trium, centum fecit drachmarum. Itaque cum numero parem summam, valore minorem præstarent, multum accessit commodi, magnum æs dissolventibus, nihil creditoribus tamen detrimenti. Maxima pars, novis tabulis ajunt semel fuisse pacta conventa universa circumducta: quibus consonare videntur carmina Solonis, gloriatur enim in his, agri se antè pignori nexi fixos passim terminos removisse: quæ pridem servi-

bant, nunc libera esse: & civium ob æs alienum in nexum ab-
A ductorum, partim in patriam reduxisse, linguæ Atticæ jam, ut qui per varia loca erraverint, oblitorum: partim dura ibidem oppressos servitute in libertatem asseruisse. *Plut. in Solone.*

NUPTIIS.

Furius Camillus, cùm censuram ageret, ut exhausta civitate propter assiduas bellorum clades cives supperetent, legem de maritandis ordinibus tulit: qua inter cætera pœnis coercuit illos, qui viduarum nuptias, quarum viri bello cecciderant, devitarent. Eos verò, qui ad senectutem cœlibes pervenerant, æra pœnæ nomine ad ærarium ferre jussit. Quam legem Q. etiam Metellus Numidicus iterum in censura promulgavit. *Alex. lib. 3. c. 13.*

C. Jul. Cæsar XXC. civium millibus in transmarinas colonias distributis, ut exhaustæ quoque urbis frequentia supperetet, sanxit. Ne quis civis major annis viginti, minorve decem, qui sacramento teneretur, plus triennio continuo Italia abesset: neu quis Senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes magistratus, peregrè proficisceretur, neve hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent. Omnesque medicinam Romæ professos, & libera-
B lium artium Doctores, quò libentiùs, & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. *Suetonius in Julio.*

Alfonsus Albuquereius Indiæ Prætor, Goa expugnata, eam Lusitani Imperii in India Metropolim esse voluit, eaque civitatis fundamenta jecit, quibus nixa, non facilè de statu convelli posset, sic ut justi in ea exercitus conscribi, & classes magnæ ædificari possent. Cùm verò Lusitanas mulieres non haberet, quod unum remedium inveniebat, eas, quas bello ceperat, Christianis sacris expiatas, Lusitanis militibus matrimonio collocavit, eisque possessiones in ea insula Saracenis ob perfidiam jure detractas, assignavit, eosque multis favoribus, atque præmiis ad eas nuptias allexit. Sic factum est, ut instar Romuli, qui urbem Romam condidit, aut Thesei, qui cives Atticos è pagis in urbem compulit, aut aliorum, qui urbium fundatores exitere, illius urbis, quam armis, atque virtute ceperat, conditor appellari posset. *Osor. lib. 7. rerum Emmanuelis.*

CIVIBUS.

Ex Vindonissæ urbis excidio fratres duo Romani evaserant.
C Quorum alter ad Argentinensem Episcopatum evectus, Fratrem pecunia ad ædificandam arcem prope Vindonissam impulit, quam Absburgum vocant, tot Regum, & Imperatorum progenie inclytam. Episcopus arcem absolutam audiens, ad fratrem profectus, cùm ædificium rude, & infimum esse videret, primum admirari hominis væcordiam, mox etiam pecuniæ collatæ rationes exigere cœpit. Tum frater: At eras propugnacula, & rationes meas videbis. Noctu interea nobiles, & rusticos vicinos, quorum, vel agros, vel operas ea pecunia redemerat, armatos adesse jubet, & manè tanquam oppugnaturos ad arcem ascendere. Episcopus rei ignarus, multitudine ea territus, quasi hostium esset, à fratre admonitus est, Ferreos hosce muros suos esse, pecunia sua redemptos, lapideis longè præstantiores. Hac ratione Episcopo satisfecit. *Stumpfius.*

ÆDIFICIIS.

Nemo est Turcarum omnium, aut Christianæ professionis veterum incolarum, qui vel oppida, vel arces, vel denique pagos more Persarum possideat, aut paulò munitiores domos ædificet. Vetere enim edicto cavetur, ne quis ullam pinnato muro circumdet, nec ædificium suprà primam contignationem, columbaria turricula altiùs condat. Propterea Thra-
D ces, Græci, Macedones, Mysi, Epirotæ, Illyrii, cæterique populi barbarico subiecti jugo, neque firmis opibus valent, neque si Christiana arma alicundè perstrepant, ad oblatam exçutiendæ servitutis occasionem sese commovere possunt. Singulæ namque præfecturæ suos equitatus eo ordine in æstivis, atque hybernis pagatim dispositos continent, ut ubique contra vim, subitumque tumultum parati, instructique armis, præsto adsint adversùs exarmatos, & inopes, qui oppressi celeriter terrerimi supplicii pœnam subeant. *Sabellici supplementum lib. 4. ex Jovio.*

POLITIÆ INTERITUS.
NEMPE QUA DE CAUSA.

OB STUPRUM.

☞ *Vide Tit. Libidinis fructus.*

AVARITIAM.

☞ *Ex loco Avaritiæ, huc quædam.*

QUO PROGRESSU.

Justinianus Imperator erepta Vandalis Africa, Gothis Italia, Parthorum quoque repressis incursionibus, imperii Rom. dignitatem summa cum militaris, ac domesticæ disciplinæ E gloria restituit. Hispaniam Gothis, Galliam Francis, Britanniam, ac Germaniam superiorem incolis relinquens, imperii Græci limites Alpibus, Danubio, Euphrate, & Africæ parentibus oris circumscripsit. In eo statu floruit imperium annis ferè centum, ac viginti, hoc est, usque ad Constantem Heraclii nepotem, cujus temporibus Arabes Ægyptum, Syriam, ac Ciliciam, post etiam Africam Romanis ademerunt, & in Italiam usque exercitus, & colonias transmiserunt. Ex altera parte Sclavi Pannonias, & Illyricum invaserunt. Antea Longobardi sedes in Insubria posuerant, & bonam Italiæ partem occuparant. Secuta sunt bella civilia pro imperio Græcorum, cùm alius à militibus, alius à Senatu Imperator eligitur: nam Leontius Justinianum minorem in exilium egit: Absimarus Leontium naribus truncatum in carcerem compulit, Justinianus Barbarorum ope restitutus, adversarios de imperio deturbavit: hunc Philippus excepit, qui ab Artennio crudelissimè est excæcatus: nec tamen diuturnum fuit hujus imperium. Paulò pòst à Leone Tiberius Imperator electus truncatur, major etiam Constantini IV. crudelitas, qui expugnata Constantinopoli Artabasdum unà cum filiis excæcavit: sed maxi- F ma cladè à Bulgaris accepta, miserè interiit, ex quo imperium ab Irene susceptum est, quæ filio excæcato Caroli Magni nuptias appetens, in Monasterium à Nicephoro truditur: Ipse Imperator factus à Bulgaris posteà cæsus est. Successit Michael uterque, quorum postremus à Basilio crudeliter occiditur: quibus temporibus Imperium Græcorum angustis regionibus definiebatur, cùm Illyricum, & Italiam penitùs amisissent, & bonam Asiæ partem Turcæ, & Arabes occuparent: Ipsi verò Græcorum principes, mutuis odiis, ac bellis civilibus tandiù jactati sunt, quousque Gallorum armis imperium occuparetur. His tamen sexto & quinquagesimo post anno pulsis, Græci rursus imperarunt, sed Palæologi, & Cantacuzeni dissidentes, Turcas Asiæ dominos in auxilium evocarunt, à quibus sunt paulò pòst de imperio dejecti. *Joan. Bodinus Methodi hist. c. 6.*

IN QUID. SIC CORRUMPITUR TYRANNIS IN REGNUM.

G

Perside liberata à fœda Magorum tyrannide, cùm inter septem tyrannicidas de rerum summa consultaretur, & Otanes quidem democratiam, Megabyzus aristocratiam, Darius verò Hystaspis F. regium statum amplectendum censuisset. Dario reliqui quatuor assenserunt. Qui paulò pòst astu equisonis Oebaris, rex Persarum fuit electus. *Herod. lib. 3.*

TYRANNIS IN ARISTOCRATIAM.

Cùm Hyperion Agamemnonis filius, qui postremus Megaris regnavit propter superbiam, & crudelitatem à Sandione occisus fuisset, non esse amplius uni parendum, Megarenses censuerunt, sed annuos magistratus, qui vicissim summæ rerum præessent, creandos. Quo tempore cùm Æsymnius auctoritate nemini inter Megarenses secundus, Delphos veniens oraculum consuluisset, qui fieri posset, ut patria secundis rebus uteretur: & alia accepit responsa, & illud imprimis bene eventurum, si plurium consilio civitas usa fuisset. Quare cùm ad mortuos oraculum pertinere interpretati essent, curiam ædificandam, intraque ejus parietes heroum sepulchrum erigendum curarunt, quod Æsymnium appellarunt. *Pausanias in Atticis.*

Cùm stirps Lechi, primi ducis apud Polonos, defecisset, monarchiæ ad tyrannidem declinantis pertæsi, duodecim ex omni H procerum numero, potentes, & spectatos in primis viros, deliguntur: qui sive novo tunc populi placito, sive usitato etiam sub principibus instituto, suæ quisque regioni, divisa in totidem regiones tota Polonia, præessent: & Vojevodæ, hoc est, duces belli, & copiarum, vernacula lingua dicerentur. Cæterùm licentia horum subditis infesta, ad principatum unius denuò animum appulerunt, & Cracum elegerunt. Mansit nihilominus Vojevodarum (quos Palatinos Latinè appellare queas) honor, verùm restricta aliquantum potestate, & jurisdictione. *Cromerus lib. 2.*

TYRANNIS IN DEMOCRATIAM.

Thrasybulus cognomento Tyricus, civis Atheniensis Athenis fugatus, auxiliantibus clàm Thebanis. Phylam occupavit, castellum apprimè munitum, distans Athenis c. stadia. XXX. tyranni nuncios ad illum mittunt, eique societatem tyrannidis offerunt, simul etiam potestatem decem exules, quos ipse elegisset, ab exilio revocandi. At ille pluris se exilrum suum facere respondit tyrannide, neque priùs posituram arma, quàm
A populo omnia restituereetur. Inde confluentibus exulibus Piræum, & Munycham occupavit. Athenienses triginta viros urbe ejiciunt, eorumque in locum decem viros dictatoria potestate creant: qui ipsi dominatum invasere, Lysandri subsidio. At Pausanias Rex Lacedæmoniorum Lysandro invidens, cum magnis copiis Athenas profectus, cives cum exulibus conciliavit: & ita demùm Athenienses patria restituta est, atque exinde suis legibus, atque institutis rem gerere, administrareque cæperunt. *Diod. lib. 14.*

Mardonius Gobryæ F. Darii gener, in Siciliam cum exercitu profectus, ejectis tyrannis, popularem ibi statum in civitatibus constituit. *Herod. lib. 6.*

ARISTOCRATIA IN TYRANNIDEM.

Sicyoniorum civitas, ut primùm ex sincero, & Dorico optimatum principatu, sicut confuso concentu in seditiones, & concionatorum ambitiones impegit, non destitit ægrotare, & tumultuari, tyrannum ex tyranno mutuans, quo ab interfecto Cleone, principes Timolidam, & Cliniam elegere, viros imprimis inter cives claros, & auctoritate pollentes. Cùm jam videretur aliquatenus compofita Respublica, Timo-
B elidas fato functus est. Abantidas verò Pasææ filius obtruncavit Cliniam, amicosque ejus expulit: filium soror Abantidæ septennem Aratum animo generoso Argos noctu dimisit. Post Dinias, & Aristoteles dialecticus Albantidam, solitum, cùm disputationibus vacarent in foro, semper esse præstò, eorumque se immiscere concertationibus, ubi in id studii conjecerunt eum, structis insidiis interfecere. Pasea autem Abantidæ patre, postquam ei in dominatum successit, dolo perempto, invasit tyrannidem Nicocles, quem Sicyone ejecit Aratus, & patriæ libertatem restituit. *Plut. in Arato.*

DEMOCRATIA IN TYRANNIDEM.

Auctor est Dionys. Halicarnasseus, corrupto civili ornatu in Græcorum civitatibus, coactos fuisse nonnullos in urbes iterum tyrannicas, regiasque potestates inducere, nominibus velantes decentioribus: ut Thessali archos, id est, principes: Lacedæmonii harmostas, cùm formidarent, Reges eos, & tyrannos appellare. *Cæl. lib. 18. cap. 3. Antiq. Lect.*

Captis à Lysandro Athenis 94. Olymp. Athenienses ad pa-
C cem à Lacedæmoniis sub his conditionibus accipiendam capti sunt, ut urbis mœnia subruerent, ac patrio more Respublica regeretur. Qui paucorum statui studebant, pro vetusta institutione revocanda, contendere ex patrum auctoritate, & vetusta consuetudine cuncta paucorum ductu, administrari oportere. Parte alia, quibus popularia jura placebant, quæ maxima turba erat, antiquam Reip. constitutionem pro comperto habebant eandem cum populari statu esse. Altercatione circa hæc per aliquot dies orta, quibus paucorum status quærebatur, ad Lysandrum Spartiatam legatos mittunt. Cujus cùm vidissent plerisque in urbibus auctoritate status paucorum fuisse constitutos, arbitrabantur se voti illius opere compotes fore. Lysander hortatus est Athenienses, uti triginta viros deligerent, quibus Rempub. administrandam mandarent. Cui rei reclamante Theramene, fœderaque inter se icta recitante, quibus conventum erat, ut patria institutione Remp. haberent: gravissimum nefas committi, si violata jurisjurandi religione, libertas eriperetur: Lysander respondit, ab Athenien sibus fœdera soluta fuisse, quippe qui post statutum diem diruissent mœnia. Theramenes cum populo perculsus pavore con-
D ticescere, simulque ad jus populi dissolvendum condescendere coactus est. Igitur triginta viri pro Lysandri sententia deliguntur, quibus Reip. gubernandæ cura demandaretur, nomine quidem administratores, sed reverà tyranni, inter quos Theramenes quoque fuit. Iis jus, & potestas permissa est deligendi senatus, cæterosque magistratus pro Reip. commodo instituendi, tum leges condendi, quibus civitatis moderatio, juraque universæ plebis continerentur. Inito Magistratu, præsidium à Spartanis impetrarunt, duce Colybio. Eo freti, pro libidine sua omnia agere, optimos quosque, & locupletissimos necare. Inter quos Theramenes, à Critia collega accusatus, & ab ara Vestæ abstractus, in carcere cicutam bibit: Niceratus item, Niciæ F. Athenien sium omnium locupletissimus. Necarunt quoque Autolycum, virum liberali, & intrepida confidentia. Postremò cunctos optimates, vel vindictæ, vel avaritiæ saturandæ studio proscripsere. Itaque ut plus dimidia civium pars solo patrio exularit. *Diod. l. 14.*

DEMOCRATIA IN OLIGARCHIAM.

Pisander Alcibiadis exulis suasu, Antiphone, & Theramene

adjutoribus, auctor fuit promulgandæ legis de populari statu Athenis antiquando. Quinque civitatis præsides lecti, qui E centum legerent, quorum singulis ternos sibi legere permissum est: atque ita quadringeni, veteri senatu abolito, curiam ingressi de summa rei consultare cœperunt. In horum potestate erat, cùm libitum esset, quinque millia civium ad rerum discussionem vocare. Sicque centesimo fermè anno, quàm Athenienses tyrannide Pisistratidarum liberati fuerant, populari administratione sublata, oligarchiam induxere. Verùm non multò post accepta clade ad Oropum, oligarchia antiquata, quinque millium civium est Reipublicæ liberum suffragium restitutum. Decretum, ut Alcibiades, & qui cum eo exulassent, in civitatem revocarentur. Pisander, & Alexides oligarchia sublata, Deceleam ad hostes cum suis concessere, veriti, ne reddenda esset sive ratio eorum, quæ dum paucorum potentia in urbe fuit contra multitudinem flagitiosè egissent. *Sab. l. 8. Enn. 3.*

Re ab Athenien sibus apud Siciliam malè gesta, eorum contemni imperium cœpit, Chii, Samii, Byzantii, ac multi populi alii, eorum societate relicta, ad Lacedæmonios defecivere: Qua perturbatione, & pavore perculsus populus, sponte statu po- F pulari relicto, tres viros elegere, quibus tota Reip. cura demandaretur. Igitur arbitrio, & potestate jam ad paucos redacta, qui summæ rerum præerant, ædificatis pluribus triremibus, quadraginta ei prætores præfecere. *Diod. lib. 13.*

Captis Athenis, Spartanis jam gentes omnes Græci nominis obtemperaturæ videbantur, terra, marique Lysandrum proinde classis prætorem ceruntur, ut urbes omnes adiret, ac per singulas viros constitueret, qui rebus civilibus, & administrationi, custodiæque sui quisque oppidi præessent (qui apud illos Harmostæ appellantur) inde stipendia debellatis pro sua cuique facultate imponeret, vectigales faceret omnes. *Diodorus Siculus lib. 14.*

Post prælium ad Arginusas Milesii quidam cives optimatum statum in urbe constituere volentes, jura populi everterunt, Lacedæmonii auxiliantibus. Ac initio quidem cùm Dionysia celebrarentur per familias, quos in primis adversarios habebant, ac quadraginta numero in domiciliis occupatos jugularunt omnes. Mox adducta in forum multitudine, delegerunt ad trecentos ex opulentissimis, hos quoque neci dederunt. Primores, quibus poularia jura magis placebant, perculsi metu, haud pauciores mille capitum, pro- G fugerunt ad Pharnabazum satrapam, quos clementer ille, perhumanèque excepit, datoque in singulos auri pondo, Claudiæ incolas constituit, quod castellum in Claudia habetur. *Diod. lib. 13.*

DE POLITIA UNIVERSORUM SECUNDUM CAUSAS CONSIDERATA.

POLITIARUM MATERIA. REGIO TOTA CONSIDERATA secundùm acquisitionem.

Alexander VI. Papa Ferdinando Regi, & ejus posteris Castellæ, Legionisque Regibus, Cardinalibus adprobantibus, in perpetuum, plenèque concessit, donavit, & attribuit omnes insulas, continentisque provincias, repertas, & quæ in posterum à suis reperirentur Occidentem, & Meridiem versus: ducta ab Arctico, Borealive polo ad Antarcticum, hoc est, Australem polum, linea: Insulas etiam illas, & continentis regiones inventas, & quæ invenientur, Indiam, vel quancunque partem H versus ita quidem ducta, ut ea centum milliaribus distaret à duarum insularum qualibet, Occidentem, Meridiemque versus, ab ea nempè insula, quæ vulgò Hispanis Azores à falconibus dicitur: & ab altera, quia non illi Viride Caput, antiqui autem Hesperides appellabant. Quarum omnium insularum, & continentis provinciarum, quæsitarum, & quærendarum, idem Pontifex eundem Regem, & ejus successores dominos cum libera, omnimodaque in iisdem potestate constituit, *Joan. Metellus.*

DIVISIONEM.

Omnes Hispaniæ (ut antiqui Scriptores volunt) sex habent provincias: Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, Galliciam, sextam denique Trans pontum, & in solo terræ Africæ, quæ Mauritania Trigintanica cognominatur. *Sic Sextus Rufus. Isidor.* etiam *in Etymologiis* eandem facit descriptionem, & Mauritaniam Trans pontum in solo Africæ partem Hispaniæ asserit. Ex his sex provinciis quinque sunt orta regna. Primum, atque præcipuum Hispania regnum

illud eſt, quod hodie Caſtellæ, & Legionis vocatur, quod cen-
A trum Hiſpaniæ eſt, & à quo cæterorum regnorum reges uſque in hodiernum diem derivati ſunt, ex ſex provinciis , quatuor ferè ſub ſe continens, Carthaginenſem ſcilicet , Luſitaniam , Bæticam, & Galliciam: à Pelagio, qui Gothorum reliquias cõtra Saracenos primus collegit anno 711. Secundum Aragoniæ Celtiberorum, cui accedit Valentia , atque Catalonia , anno 1017. cœpit. Ranimiro, Sancii majoris regis Caſtellæ , & Navarræ, qui de Mauris eam recuperarat, filio primo Rege . Tertium Navarræ, Caſtellæ, & Aragoniæ contiguum, ab Enequo Comite Bigorriæ Saracenis ereptum ann. 961. antiquis temporibus partem ex Cantabria , partem ex Celtiberia ſumebat : Oceanum aliquatenus attingit prope fontem Fabidum. Quartum Portugalliæ , & Luſitaniæ , quam vulgò Extrematuram vocant, cujus tamen bonam partem Gallecíæ antiqui adnumerabant. Eam Alfonſus VI. Rex Hiſpaniæ in dotem dedit Henrico Lotharingo comiti, ejuſque F. Alfonſum Henriques ob victorias de Mauris Regem appellavit . Quintum regnum Granata nuncupatur, adhæret Bæticis littoribus , à Mauris è
B Corduba pulſis conſtitutum, ann. 1216. tandem iis ereptum *Rod. Sanctius par. 1. hiſt. Hiſp. cap. 6. & ſeq.*

Poloniæ Regnum univerſum in quatuor velut regiones eſt diviſum , quas in orbem Rex quotannis inviſit : ſingulæ ternis menſibus alunt Regem , regiumque comitatum . Cæterùm ſi caſu, conſilioye in unâ aliqua regni parte diutiùs rex eſſe perſeveraverit, nihil debetur illi ampliùs . *Sab. lib. 4. Enn. 10.*

CAROLUS IV. Imp. Boemiæ Rex . Boemiam in regiones duodecim deſcripſit , quarum uni duntaxat nomen à flumine Vultavia, quod Pragam interfluit , indidit : reliquas undecim ab oppidis cognominavit, tam aſpera pronunciatione , ut nemo niſi Boemus, aut ſermonis Boemi gnarus illa enunciare poſſit. *Jo. Dubrav. lib. 1. hiſt. Boem.*

PROVINCIA . HUJUS DIVISIO.

Memoriæ proditum eſt , naturam ſigus , munitionemque Ægypti Alexandrum admiratum, eam in plures præfecturas , Nomos vocant, dividiſſe, hanc tutum eſſe ratum , imperii curam uni modò injungere . Ac mihi quidem videntur (inquit *Arianus lib. 3.*) Alexandri conſilium Romani eſſe imitati :
C nam eadem ducti ratione inſtituere , ut nemini ordinis Senatorii provincia Ægyptus, ſed equeſtri tantùm viro decerneretur. *Cælius lib. 16. cap. 3. A. L.*

Conſtantinus Magnus Remp. ita deſcripſit . Cùm priores Principes imperium in duas partes tribuiſſent , atque unam Occidentis, alteram Orientis feciſſent imprimis eam , & ipſe rationem retinuit: illius Romam , hujus Byzantium domicilium eſſe voluit : atque utrumque Imperium in multas portiones , ſive diviſit , ſive ab aliis antè diviſum paucis mutatis ſervavit. Cæterùm Occidentalis partes duæ ſunt conſtitutæ , quæ Italiæ , & Galliarum nomine ſunt appellatæ , atque ambæ in tres diœceſes partitæ , illa in Italiam , Illyricum , & Africam : hæc in Hiſpanias, Gallias, & Britannias Provinciæ porrò Italiæ ſeptemdecim factæ . Venetia , Liguria , Alpes Cottiæ, Æmilia , Flaminia cum Piceno annonario , Etruria cum Umbria , Picenum ſuburbicarium, Valeria, Campania , Lucania cum Brutiis, Apulia cum Calabria , Samnium , Sicilia, Sardinia, Corſica, Rhætia prima , Rhætia ſecunda ; Illyrici verò ſex , Pannonia prima , Pannonia ſecunda , Salvia ,
D Dalmatia , Noricum ripenſe , Noricum mediterraneum . Africæ quinque, Byzantium , Numidia, Mauritania Sitifenſis, Mauritania Cæſarienſis , Tripolis . Hiſpaniæ ſeptem , Bætica, Luſitania , Gallæcia, Tarraconenſis, Carthaginenſis, Tingitana, Baleares . Galliæ ſeptemdecim , Lugdunenſis prima , Lugdunenſis ſecunda , Lugdunenſis tertia , Lugdunenſis quarta, ſive Senonia , Maxima Sequanorum, Belgica prima , Belgica ſecunda , Germania prima , Germania ſecunda , Viennenſis , Narbonenſis prima , Narbonenſis ſecunda , Alpes maritimæ , Alpes Gratæ , Aquitania prima , Aquitania ſecunda, Novempopulana, Britanniæ quinque, Maxima Cæſarienſis, Valentia, Britannia prima, Britannia ſecunda, Flavia Cæſarienſis. Jam verò Orientalis Imperii partes item duæ effectæ, Oriens, & Illyricum . Orientis diœceſes quinque inſtitutæ , Oriens Ægyptus, Aſia Pontus, Thracia. Illyrici duæ , Macedonia, & Dacia . Provinciæ porrò Orientis quindecim Palæſtina, Pœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia , Iſauria , Palæſtina ſalutaris, Palæſtina ſecunda, Phœnice Libani, Euphratenſis, Syria ſalutaris, Oſrhoena, Meſopotamia, Cilicia ſecunda . Ægypti ſex, Libya ſuperior, Libya inferior, Thebais, Ægyptus Arcadia, Auguſtamnica. Aſiæ decem, Pamphylia Helleſpontus, Lydia, Piſidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana. Phrygia ſalutaris Lycia, Caria, Inſula Ponti decem, Galatia Bithynia, quæ poſt Honorias dicta, Cappadocia prima , Cappadocia ſecunda, Pontus Pelemoniacus , Hellenopontus , Armenia prima, Armenia ſecunda, Galatia ſalutaris . Thraciæ ſex , Europa , Thracia, Æmimons, Rhodope, Mœſia ſecunda, Scythia. Macedoniæ ſex, Achaja , Macedonia, Creta, Theſſalia, Epirus vetus, Epirus nova, & pars Macedoniæ ſalutaris. Daciæ quinque, Dacia Mediterranea, Dacia ripenſis, Mœſia prima, Dardania , Prævalitana, & pars Macedoniæ ſalutaris . In primis autem cùm ſingulorum Imperiorum binæ partes eſſent , his etiam binos præfectos Prætorio præpoſuit, ut eſſent quatuor (nàm antè ipſum duo tantùm fuerant) ac ſingulis ſuas diœceſes attribuit. Ita fuere præfecti prætorio Italiæ , Galliarum, Orientis, & Illyrici, Patricios inde binos , in ſingulis Imperiis ſingulos fecit, Conſulum numerum conſervavit, eoſque promiſcuè ex utroque Imperio legi voluit , Præfectum urbis Romanæ tantùm reliquit, qui deinde Conſtantinopoli, quoque aſcitus eſt. Senatum geminum inſtituit. Magiſtros peditum, equitumque intulit, qui curam militum conſcribendorum , inſtituendo-F rum, & corrigendorum haberent : quæ antè præfecti prætorio fuerat. Duces etiam vectigalia exigere ſtatuit , & ex iis ſtipendia militibus numerare, quòd antè præfectus prætorio feceras; provinciarum verò adminiſtrationem priſtino inſtituto partim conſularibus, partim præſidibus, partim etiam correctoribus commendavit. Officia publica, Palatina, & militiæ ab Hadriano inſtituta , paucis mutatis retinuit . *Sigonius Imper. occid. lib. 8.*

SPECIES.

Quædam provinciæ Rom. proconſulares fuere, ad quas ſoli mittebantur proconſules : quædam conſulares , nonnullæ præſidiales, pleræque prætoriæ, quibus conſules, præſides, prætoreſque præfecti erant. Nam Carthago proconſularis erat provincia. Numidia , Libya, & Aſia citrà Taurum, & Cyrenæ conſulares. Tripolis , & utraque Mauritania, atque Ægyptus, ſub præſidibus fuere . Cyprus , Iberias, Sardinia, Sicilia . Illyricum, Achaja , Creta, & Bithynia prætoriæ. Sardiniam , & Corſicam , olim prætorias , poſteà ſub præſidibus fuiſſe comperimus. Soli verò Maſſilienſes, & Nemauſenſes ab onere provincialis prætoriæ feruntur immunes. Cùmque omnis Hiſpania in ſex provincias dividatur , ex his Bætica, G & Luſitania conſulares fuerunt , reliquæ ſub præſidibus *Alex. lib. 2. cap. 27.*

TRANSLATIO.

Victi à Carolo magno Saxone, & V Veſtphali , cùm nec veniæ facilitate reconciliari, nec armis victi frangi , nec conſortione religionis placari, nec æquis legibus flecti, nèc iniquis domari, nec obſidibus oppignerari poſſent : & in tot Francorum occupationibus fortuna novas ſemper rebellandi occaſiones cupientibus præberet , ut vix XXXIV. poſt cœptum bellum anno pœnitùs edomari potuerint : Tranſalbiani omnes in Franciam translati ſunt. Citra Albim decimus quiſque migrare juſſus in Germaniam: x. millia hinc diſperſa . *Æmil. l. 3.* de eodem ſic ſcribit *Cranzius* : Carolus Mag. Hiſpanico bello peracto, Saxoniam totam, quæ nunc V Veſtphalia eſt, ſubegit: ut Viſurgo, nunc Veſera tranſmiſſo , ſedes ſibi faceret inter Vandalos, antiquis pulſis habitatoribus. Ex eo tempore cœpta eſt habitari à Saxonibus provincia trans Viſurgum, quæ nunc eſt regio Brunſuicenſis: adeòque diſcrimen factum Saxonum orientalium, & occiduorum, qui ultrà, & citrà Viſur-H gum habitant. *Crantzius lib. 2. cap. 2.*

URBES , QUATENUS CONDUNTUR.

Varro. Terra dicta ab eo (ut *Ælius* ſcribit) quòd teritur. Itaque Tera in Augurum libris ſcripta , cum R. uno. Ab eo colonis locus communis, qui propè oppidum relinquitur , Teritorium , quod maximè teritur . Servius autem in illud . *lib. 5. Æneid.*

—— urbem deſignat aratro .

ab eo quem Cato in Originibus dicit morem fuiſſe. Condituri enim civitates, taurum in dextra , vaccam intrinſecus jungebant: & cincti ritu Sabino, id eſt, togæ parte caput velati, parte ſuccincti, tenebant ſtivam incurvam , ut glebæ omnes intrinſecus caderent, & ita ſulco ducto, loca murorum deſignabant, aratrum ſuſpendentes circa loca portarum. Unde ei territorium dictum eſt, quaſi terribovium, tritum bobus , & aratro . *Hotom. de Verb. jur.*

Alexander , cùm in Ægypto urbem ædificare decreviſſet,

viſſet, eis, quos negotio præfeceràt, injunxit , inter Paludem,
A & mare (quem locum ipſe diligenter metatus , & ad regiones urbis ponendas partitus fuerat) eam extruerent , voluitque Alexandriam de ſuo nomine appellari. Cujus poſitio commoda valde electa eſt , ob vicinitatem portus Pharì: rectèque in vicis diſponendis illud fuit conſideratum , ut omnes flatu ventorum , qui anniverſarii dicuntur , inſpirarentur . *Diod. lib. 17.*

In condendis urbibus prima ea cura eſſe debet, ut locus ſalubertimus eligatur: alter , ut fertiliſſimus : tertius , ut commodiſſimus , & ad negotiationes , & ad res bellicas . Id autem quod primum eſt , Phyſiologi certè ſtudio perſpici tantùm poteſt . Hinc Pallas ſapientiæ dea Muſæum Græciæ conditura , locum in Attica ſalubertimum, & aeris temperie optimè præditum elegit. Spartani de colonia deducenda conſulto oraculo , reſponſum accepere : Contra cæcos ædificarent : Crotonenſes loco ſalubertimo civitatem condere à Deo juſſi , *Strab. l. 6. & Suid.*

Cùm urbium conditores mœnia ſignarent , incincti ritu Gabino , id eſt toga rejecta circa humeros, taurum ad dextram intrinſecus , vaccam æneo aratro jungebant, ſtivamque tenentes incurvam , ita ut omnes glebæ in interiorem ruerent
B partem , perfecto ſacrificio mœnia ſignabant . Ubi verò portæ futuræ erant , id loci minimè ſulcabant , ſed aratrum ſuſpendentes , portarum ſpatia reliquere intacta . Ideò cùm mœnia ſignata ſolemni ſacrificio , ſancta ſint : portæ , quia ſignari illas, vel ſulcari minimè decebat , ſanctæ minimè fuere : in quo id ſervatum meminimus , ut fruges in ſubjectam foveam demittant , & ex vicina terra exaggerent , boveſque ſulcatis mœnibus immolent . Macedones verò ubi primùm urbis mœnia futura erant, polentam inter ſolemnia adhibuere. Quod quidem aratrum non ædificandis modò urbibus, ſed illis fundituſ evertendis inducebant , quas ſegetes ibi mox futura denotarent . *Alex. lib. 6. cap. 14.*

TRANSFERUNTUR.

Venetos Pipinus Italiæ rex in paludibus adortus ann. 810. magnam cladem accepit , Beatus Dux Venetorum cùm Metamaucum excíſum videret , animum ad ſedem in Rivum altum , & Olivolam traducendam adjecit , eas propter magnitudinem ſuam ſatis amplas ad vicinorum populorum multitudinem , & reipublicæ , quam ſibi pollicebatur , dignitatem recipiendam fore arbitratus : atque tribunis , & primo-
C ribus inſularum in conſilium advocatis , ex eorum auctoritate regiam eò traduxit. Beato verò , antequam res ad exitum perduceretur , vita functo , Angelus Particiacus Dux ſubſtitutus incepta perſolvere inſtituit. Itaque cùm Rivoaltum Duci , Olivolam Epiſcopo deſtinaſſet , prima Ducalis prætorii, quo loco nunc eſt , fundamenta fecit. Urbs tota Rivoaltum , & Olivolam continens , poſt uno Venetiarum nomine appellata . Hæc ejus urbis , & reipublicæ , quæ ad hunc uſque diem opulentiſſima , atque ampliſſima fuit , principia fuiſſe feruntur , quæ tum terminis à Grado ad caput aggeris anguſtiſſimis claudebatur . *Sigon. lib. 4. reg. Ital. & Sab. lib. 9. Enn. 8.*

CONTRAHUNTUR.

Theſeus mortuo Ægeo patre Athenienſes ſparſim , & vicatim habitantes in unum collegit , omnibuſque Prytaneis demolitis , unum conſtituit , unamque urbem , quàm δεῦρο nuncupavit , Athenas ſcilicet. Ipſe ſe populo adæquavit , legum cuſtodem, bellique arbitrum ſe fore profeſſus. Eapropter Homerus quoque in Bœotia ſolos Athenienſes δῆμον
D vocat, ὡς νόμους κ) πάτρη σαώσειεν . Primus diſcrevit ſeorſum patricios, agricolas, & opifices. Patricii curam ſacrorum , & magiſtratuum ordine ſuo dandorum permiſit jus , legumque diſciplinam , & interpretationem , quid jus, & fas eſſet . De cætero cives adæquavit , quòd dignitate patricii, utilitate agricolæ, artifices numero videretur præcellere. *Plut. in Theſeo .*

Olymp. 77. Elei priùs per multa tempora multis ſparſi urbibus , cùm varia loca incolerent , in unam ex omnibus urbem conmigravere , quam Elim nominarunt . *Diodorus lib. 11.*

Epaminondas poſt Leuctricam victoriam Arcadibus auctor fuit , ut parvis oppidis , quæ facilè , cùm ſine munitionibus eſſent , expugnari poterant, deletis, in urbem unam , quæ eſt ab eo condita , & Megalopolis appellata , congregarentur . *Pauſan. in Bœoticis .*

Pragenſes ſub Ludovico rege , ſeriùs licèt ſecum reputantes quòd adunata quàm diviſa virtus , & fortior, & tutior eſſet: duas civitates ſuas in unam contraxere , unum magiſtratum in utraque civitate conſtituere , foſſas complanavere , portas reſeravere , pœnamque exilii perpetui contra eum ſancivere, quiſquis conſtituta turbaret. *Dubravius lib. 33.*

DIRUUNTUR.

Eo , quod contra Fidenates , & Vejentes commiſſum eſt , prælio , perierant Albanorum defectione , niſi virtute ſua ſe defendiſſent Romani . Poſt victoriam , de Albanæ perfidiæ ultione inter patres conſultatum , variatumque nonnihil opinionibus. Demùm in ſententiam Tulli regis frequenter itum : ut Alba dirueretur, parceretur civibus , ſupplicium de Metio ſumeretur. Ergo M. Horatium , qui Curiatios vicit , cum centuriis aliquot peditum , majore tamen equitatu , Albam miſit , qui cum parte urbem ingreſſus , ubi cives in po eſtatem redegiſſet , oppidum à fundamentis diruit , pepercit templis , multitudinem omnem Romam traduxit . Tullus inde convocata concione , Albanis juſſis propiùs tribunal accedere , extremam concionem armis ſepſit , ne quis tumultus oriretur , & Albanis ſtupentibus Albam everſam indicavit , Romam migrare juſſit , Metium Dictatorem quadrigis dilaniari curavit. *Sab. lib. 4. Enn. 2.*

POLITICÆ PERSONÆ. F
CIVIUM VARII ORDINES,
TRIBUS.
QUI IN TRIBUS DIGESTI.

Athenis olim (referente Euſtathio Iliad. *B.*) populum univerſum (διὰ τὸ σωδέδεσθαι τοῖς νόμοις δῆμον dictum) in quatuor φύλαν diviſerunt (unde φυλέται dicti) φύλον in tres φρατρίας , uti anni temporum quotlibet in tres menſes. φρατρία igitur ſive τριττύς, tertia pars erat populi , unde fortaſſis Latini Tribum vocant. φρατρία quælibet in triginta γένη dividebatur : & quemadmodum annuus Solis circuitus 360. dies habet, ita totus populus 360. γένη. Hinc γεννῆται dicti. Γένος quodlibet 30. viris conſtabat. Sic igitur tota civitas ex 10800. viris conſtitit. Quem numerum Plato etiam in ſua Rep. approbavit. Hæc ille . Populus Athenienſis diſtributus erat in tribus 12. ad menſium numerum : turſum unaquæque tribus in triginta genera , quemadmodum vocant , ad dierum numerum : unde γενῆται vocabantur , non conjuncti ſanguini propinquitate, ſed in eandem tribus partem adſciti. Hinc prov. γενῆται γεγενῆς σὺν G τοῖν πέζοιν. Erafmus. γενῆται dicuntur ejuſdem generis ſocietate conjuncti , non quidem ratione cognationis , & ſanguinis , ſed propter familias in curias diſtributa : inter quos talis eſt communitas , qualis inter municipes , & curiales , conſtituta lege. Olim IX. fuere tribus imitatione quatuor anni temporum , diſtributæ in XII. curias , inſtar XII. menſium. Genera verò XXX. curiæ ſingulæ habuerunt , ut numerus dierum anni CCCLXV. compleretur : & ex his generibus ſacerdotes, ſeu curiones cujuſque curiæ ſorte deligebantur. γενῆται tradidit Philochorus , olim ὁμογάλακτες , id eſt, collactaneos appellatos. *Suidas .*

Athenis decem tribus , quarum ſuffragiis , pacis, bellique temporibus Reſpublica ſtetit , à regibus, qui imperitarunt, nomina ſumpſere: ſingulæque tribus in decem genera diſtinctæ fuere . Ex quatuor enim tribubus , in quas olim civitas diviſa fuit, Cliſthenes decem effecit. A Cecrope , qui primus regnavit , tribus Cecropis dicta , ſicut Ægis altera, tertia Erichthis , Pandionis , Athamanthis , Antiochis , Leontis (ex qua Themiſtocles fuit) Oenis , Æantis , H Hippocoontis : quibus per ſubſequentes reges duæ additæ, Antigonis, & Demetrias, ab Antigono , & Demetrio : qui ex ſuis nominibus decem veteribus illas adjecere : Hanc Æantidem ferunt , cùm fortiter contra Mardonium , & Perſas pugnaſſet, ab Athenienſibus hoc proprium tuliſſe , ut ſoli illius tribules Spargitiicis nymphis ſacrum victoriæ facerent , quotannis impenſa publica . Poſt quas fuere , Alopecis , Athenonea , Pæanica , Decelenſis , Specias, Atharnas , Agraleuta , Alimuſos (ex qua Thucydides) & Lacyas (unde Miltiades) mox illis prioribus adjectæ, ex quibus judices , qui jura darent in foro , deligebantur . Eratque conſtitutum , ut niſi Cypriorum princeps, tribus Athenienſium nemo ſorte educeret. *Alex. lib. 1. cap. 17.*

Sunt , qui Athenienſium tribus tradant non ab Jovis filiis , ſed à generibus , in quæ diſtributa à primordio ſtudia hominum fuerunt , nomina ſortitas: ita bello deditos , appellatos Hoſpitas: operi Ergadas, reliquorum duorum agriculturæ incumben-

cumbentes, Gedeontas : qui pecuariam faciebant Ægico-
A ras. *Plut. in Solone.*

Clisthenes Alcmæonides, liberatis Athenis à tyrannide Pysistratidarum, cùm populus Athenienſis fuiſſet anteà exagitatus, poſteaquàm omnium auctoritatem ad ſuam unius redegit, tum tribuum nomina vetera à Jovis filiis, Peleonte, Ægicoro, Argadeo, & Hoplete cenſuit immutanda: & plures ex paucioribus faciendas, decem pro quatuor: & totidem Phylarchos, id eſt, tribunos, à tribuum præfectura. Ita populo in tribus diſtributo, atque compoſito, multùm ſuperavit Iſagoram Tiſandri F. qui erat contrariæ factionis. Imitatus autem eſt Clisthenem Sicyonium, avum maternum. *Herod. lib.* 5.

De Megarenſibus traditum eſt, olim in quinque tribus omnem regionem diviſiſſe, ut diſtincti ordinis fieret: ex quibus alii Heraci, nonnulli Piraci, alii Megarenſes, plerique Traſpodici, ultimi Cynoſurci dicti. *Alex. lib.* 5. *cap.*18.

Elei cùm XII. tribus forent, poſteà bello Arcadico parte agri amiſſa, in octo relapſi ſunt: rurſus reſtituto agro, eo venere ut x. fierent. Traditum quoque eſt Corinthios, poſtquam in unam civitatem aſciti fuere, in octo tribus diſtinctos fuiſſe,
B quarum nomina prodita non ſunt. Spartæ verò Ægida, & Pitana præcipuæ tribus fuere, ex qua Menelaus oriundus fuit. Sicut apud Bojos tribus Sappinia. *Alex. lib.* 1. *cap.*17.

Clisthenes Sicyoniorum tyrannus, Argiiis infenſiſſimus, ne ferrent cædem Sicyoniis tribus, quæ Arguiis, nomina immutavit: ex quibus Sicyones plurimùm ridiculos reddidit. Quippe ſuis, & aſini cognomina tribubus priſtinis impoſuit, præterquam tribui ſuæ, cui à ſuo ipſius Imperio nomen indidit, id eſt, ab Arche: itaque hi tribules Archelai vocabantur. Cæterorum alii Hiatæ, id eſt, ſuales: alii Oneatæ, id eſt, aſinales: alii Chœreatæ, id eſt, porcales. His tribuum nominibus Sicyonii & Clisthene imperante, & eo defuncto ad ſexaginta annos uſi ſunt: quæ poſteà in alia tranſtulerunt, Hylleas, Pamphilos, Dyamanates: quartæ tribui, quam adiecerunt, impoſito cognomine Ægiales, ab Ægialo Adraſti filio. *Herodotus lib.* 5.

Thuriorum urbs in decem pariter tribus diviſa fuit, quas ex gentibus, quæ in civitatem aſcitæ fuerant, denominarunt. Siquidem ex Arcadibus, tres Arcadicæ: reliquæ verò, Bœotia, Amphictyonidas Dorida, Lyda, Athenaida, Euboida, & Me-
C ſyotis, nomina tulere. *Alex. lib.* 1. *cap.*17.

Romanæ urbis Tribus, quas 35. fuiſſe conſtat, unde dictæ quæque ſingulis nomina fuerint, *pete ex Alex. ab Alex. l.* 1. *c.* 17. *Blond. libro* 3. *Romæ triumphantis.*

QUOMODO, CUR. RATIONE ſcilicet habita EXERCITII, PROFESSIONIS.

Domi, Foris, Pace, Bellove.

Dicunt totam Indorum multitudinem in ſeptem genera diſpartiri, quorum philoſophi honore anteccedunt, numero verò pauciſſimi ſunt. Hi ab omni opere immunes, atque ſerviunt cuiquam, neque imperant: recipiuntque à privatis, & ea quibus ſacra diis faciant, & quibus curam habeant defunctorum, tanquam chari diis, & quæ fiant apud inferos præcipuè norint: propterea dona plurima, honoreſque eis impenduntur. Multùm verò proſunt Indorum vitæ. Nam anni principio unà convenientes ſiccitates, pluvias, ventos, morbos prædicunt, cæteraque quorum cognitio poſſit utilis eſſe. Futura enim audientes tum populus, tum rex, & futura declinant mala, & ſemper aliquid ad utilitatem ſuam præparant.
D Publicè verò reges, in eo conventu, qui maximus apud eos fit, cum novo anno incipiente philoſophi omnes cum rege ad venationem exeunt, & quicquid quiſque compoſuerit, vel obſervaverit eo anno de fructibus, de animalibus, de Republica, in medium proferunt. Ubi qui ter mendax deprehenſus fuerit, ei per totam vitam ex lege ſilentium indicitur: qui vera dixerit, immunis, & omni tributo exemptus cenſetur. Secundum genus eſt agricolarum, qui plurimi ſunt, & pauciſſimi in maxima operandi licentia, & immunitate militiæ. Hi nec civitatem, nec publicum negotium, nec ullum aliud munus attingunt: quamobrem eodem tempore, & eodem loco, ac alii pugnant, & cum hoſte periclitantur: alii arant, vel fodiunt ſine ullo periculo, cùm illos propugnatores habeant. Et cùm Regio tota ſit Regis, ipſi eam conducti operantur, in quarta fructuum parte. Tertium genus eſt paſtorum, ac venatorum, quibus ſolis & venari, & paſcere pecora, & vendere, & jumenta locare licet: pro eo autem, quòd terram beſtiis liberant, & ab avibus, quæ ſemina legunt, ſalario à rege compenſantur, & vagi, errabundique vitam in tuguriis agunt. Privato homini equum, & elephantem alere non licet. Utrumque enim Regis poſſeſſio cenſetur, funtque eorum curatores. Quartum genus E
eorum, qui artes exercent, item cauponarii, & quicumque corpore operantur: quorum alii tributa pendunt, ſtatuta munera exhibent: alii verò, ut ſunt qui arma, & naves fabricant, alimenta, & ſtipendium à rege habent, cui ſoli operantur. Nam tribunus arma militibus præbet, & claſſis præfectus naves navigantibus, & mercatoribus pretio locat. Quintum genus eſt bellatorum, qui reliquum tempus otioſi agunt, in locis ab rege conſtitutis: ut cùm opus ſit, citò exeant, nihil de ſuo afferentes præter corpora. Sexti autem præſides, Epiſcopi, vel Ephori, quorum munus eſt, ut, quæ aguntur, inſpiciant, & Regi omni clàm renuncient. Hi in urbe urbanas meretrices, adiutrices adhibent, in caſtris verò caſtrenſes. Hi ſunt viri optimi, ac fideliſſimi. Septimi ſunt conſiliarii, & Regi aſſidentes, à quibus & magiſtratus, & judicia, & rerum omnium adminiſtratio fit, nec licet cum alio genere connubia contrahi, nec ſtudium nec artem imitari, nec eundem plura exercere, niſi philoſophus ſit. *Diod. l.* 2. *c.*10. *& Strabo lib.* 15.

Sunt in Ægypto ſeptem hominum genera, quorum alii ſunt F
ſacerdotes, alii Calaſiries, & Hermotybies, hoc eſt pugnatores: alii boum paſtores, alii ſubulci, alii inſtitores, alii interpretes, alii gubernatores navales. *Herod. lib.* 2.

Politia Ægyptiorum olim in tria hominum genera inſtituta, agricolarum, paſtorum, opificum. Agricolæ parva quadam mercede à ſacerdotibus, regeque, aut militibus agros mercati, per omnem ætatem ab ipſa pueritia rei ruſticæ ſine intermiſſione vacant. Quo fit, ut agricultura cæteris tum ob doctrinam à parentibus perceptam, tum ob continuum uſum præſtent. Norunt enim præ cæteris diligenter agrorum naturam, rigandi, ſerendique, ac metendi tempora, & fructuum ſervandorum commoditates, tum parentum obſervatione, tum ſua diligentia cognita. Eodem modo & paſtores cura, atque arte regendi pecoris à patribus accepta, ſemper in eo gubernando vitam agunt. Multùm eis conferunt, quæ à progenitoribus de pecorum cultu ac paſcuis audierunt, à nonnullis etiam quædam ſuo ſtudio adinventa. Nam qui aves, & anſeres nutriunt, præter earum, quæ apud alios homines habentur, procreandi naturam, adeò illis indulgent, ut in numerum dictu mirabilem evadant. Non enim ovis incubant aves, ſed ipſi ingenio, & G
naturali arte ex ovis præter cæterorum conſuetudinem, educunt fœtus. Artes quoque apud Ægyptios admodum excultas videmus, & ad ſummum perductas. Nam ſoli Ægyptii opifices omiſſâ rerum publicarum cura, nullum niſi aut legibus permiſſum aut à patribus traditum opus exercent: ut neque eos docentis invidia, neque civile odium, neque aliud quid ab inſtituto impediat exercitio. Aliis in locis licet artificibus relicto priori opificio, cæteris ſe dedere, & hos cultui agrorum, hos mercaturæ, alios pluribus artibus operam præbere. Quidam in civitatibus, quæ à populo regnantur, ad conciones concurrunt, in perniciem civitatis pretio corrupti. Apud Ægyptios ſi quis opifex ad Rempub. accedat, aut plures exerceat artes, magna mulctatur pœna. *Diod. lib.* 1. *cap.*6.

Panchæi Arabes politiam trifariam partitam habent. Primum locum ſacerdotes tenent, quibus adduntur artifices. Secundum agricolæ. Tertium milites, quibus paſtores adiiciuntur. Sacerdotes omnium ſunt duces: quibus & controverſiarum judicia, & publicarum rerum arbitria permiſſa ſunt. Ruſtici agros colunt, fructus omnes in commune conferentes. Qui ex eis optimè videntur agro colendo vacare, hi uſque H
ad numerum decem, ad cæterorum exhortationem diſtribuendo fructum judices à ſacerdotibus leguntur. Paſtores tum ea, quæ ad ſacra pertinent, tum reliqua in publicum, alia numero, pondere, alia cum omni ferunt diligentia. Nihil enim privatum cujuſquam eſt, domo atque horto exceptis: ſed tum vectigalia, tum cætera ſacerdotes percipiunt: atque illa cæteris, prout uſus fuerit, diſpertientes. Milites patriam armis tutantur. *Diodorus libro* 5. *cap.*10.

Hiberos apud Albanos in quatuor genera diviſos comperimus, unum ex optimatibus, ex quibus deliguntur reges, ſecundum ex ſacerdotibus, tertium ex agricolis, & militibus, quartum ex plebeis, & popularibus. *Alex. lib.* 5. *cap.*18.

Theſpienſes in duo diviſi ſunt genera, opifices, & nobilitatem: nobiles adeò fordidas artes, & omnem quæſtum averſati fuere, ut miniſterium aliquod didiciſſe, vel arvo ſtuduiſſe, pollucre nobilitatem crederent: itaque illorum paupertas maximè inſignis fuit. *Ibidem.*

THE-

Theſeus in Athenarum inſtitutione, & Hippodamus Mi-
A leſius, in conſtituendo optimo Reip. ſtatu, aliique urbium conditores, ſecretis ordinibus ingenua officia à ſervilibus diſtinxere.

Athenienſes colonos Saitarum Ægyptiæ gentis eſſe, eò aſſerere nituntur, quòd ſoli Græcorum urbem appellent Aſty, translata appellatione ab Ægyptiæ urbis vocabulo. Præterea civitatem Athenienſium, eandem ordinationem, ac partitionem, habuiſſe cum Ægyptia, in partes tres diſtributa. Et primum quidem gradum fuiſſe nobilium, qui præ cæteris doctrinæ dediti, majore honore digni habebantur: in ea re ſacerdotibus Ægyptiis perſimiles. Secundum eorum, quibus agri erant aſſignati, ut armis intenti eſſent pro patriæ defenſione: illis ſimiles, qui in Ægypto agros tenentes, milites ad bellum ſubminiſtrant. Tertius plebis erat, atque opificum, qui artibus mercenariis intenti, neceſſarias operas præberent. *Diodor. l.* 1. *c.*2.

Romulum conſtat in duos ordines populum diviſiſſe, plebejum ſcilicet, & ſenatorium: illorumque progeniem Patricios, ſeu Optimates, exemplo Athenienſium, quos Apatridas vocant: humiliores verò, & inopem vulgum, Plebejos nuncupaſſe. Et quidem ingenuas artes reliquiſſe Patricius, mi-
B litiam ſcilicet, & magiſtratus gerere, ſacra facere, jus dicere, publica, & urbana negotia adminiſtrare: plebeiis autem militiam, & agrorum curam, pecoriſque depaſcendi, reliquaſque ingenuas artes demandaſſe, ſatis conſtat: mercaturam, ſordidas, pudendaſque artes, ut popinariam, & quæ manuales ſunt, ad uſum mortalitatis, advenis, & his qui recens advenerant, delegaſſe: Romanos verò ſervile miniſterium, & laborioſa negotia exercere noluiſſe. Proinde omni quæſtu ſordido illis interdixit: adeoque quæſtus omnis patribus indecorus viſus. *Alex. l.* 5. *c.*18.

Idem urbe jam condita, juventutem in militares ordines centuriavit. Singuli ordines peditum habebant terna millia, tricenos equites. Quia verò ex omnibus bellicoſi lecti erant, Legio dicta. Hinc reliquum cœtum habuit, & dixit Populum. Centum præſtantiſſimorum delegit conſilium, eoſque Patres vocavit: collegium Senatum. *Plut. in Romulo.*

Servius Tullus Romanorum Rex, inſtituit pacis opus, ad rem militarem utiliſſimum, ut quemadmodum Numa ſacrorum, divinique juris fuiſſet auctor, ita ipſe omnium, civitatis diſcriminum. Res eò ſpectabat, ut belli paciſque munia, non viritim, ut anteà, ſed pro pecuniarum habitu fie-
C rent. In claſſes igitur, & centurias omnem civium multitudinem partitus eſt. Quorum ordinum ratio fuit, ut ii, quorum res centum millibus æris cenſerentur, in prima claſſe eſſent, quæ centurias habuit octoginta, pari numero juniorum, ſeniorumque, ut hi ad urbis cuſtodiam præſtò eſſent, juvenes foris bella gererent. Arma utriſque imperata, galea, clypeus, lorica, ocreæ, & hæc, quæ corpus tegerent, In hoſtes, haſta & gladius. Additæ huic claſſi duæ Fabrorum centuriæ, qui in bellum machinas ferrent, & ob id inermes. Altera claſſis ex viginti facta eſt centuriis, quarum cenſus à quinque, & ſeptuaginta millibus ad centum millia extendebatur. Arma illis ſcutum, galea, ocreæ, lorica duntaxat adempta. Tela in hoſtes, eadem. Idem ætatis diſcrimen. Tertii ordinis cenſus in quinquaginta millia deſcendit, totidem centuriæ, nec in armis quicquam præter ocreas variatum. Par centuriarum numerus. Quartæ claſſis cenſus adhuc minor: quippe qui à quinquaginta millibus in ſummam dimidio minorem contra-
D herentur, nihil his datum præter haſtam, & verutrum. Tertia ginta centuriæ quintam explevere claſſem, fundam his, & lapides miſſiles ferre in pugnam juſſum eſt, & in his Accenſi, Cornicines, & Tibicines in tres centurias diſtributi, undecim millibus eſt hæc claſſis æſtimata. Minor deinceps cenſus reliquam habuit multitudinem, cui ob inopiam, militiæ munus, tributumque Tullus remiſit. Et hæc fuit prima cenſus æſtimatio, per eos ipſos, qui poſſiderent, ab initio facta. Adacti ſimul cives juramento, ſingulique ſua bona æſtimare, quibus parentibus orti eſſent, quos filios haberent, cujus ipſi ætatis, cujus uxores, liberique, quæ illorum nomina, quo urbis loco, aut quo regionis pago domicilium haberent, propoſita iis qui fallerent pœna, ut ademptis bonis ipſi verberibus cæſi venderentur. Peditum numero in hunc modum diſtributo ex primoribus civitatis novos ſcripſit equitum ordines, ut cum iis, quæ fuerant, ſub Romulo inauguratæ, quæque illis poſteà à Tarquinio additæ, duodeviginti eſſent centuriæ, dena millia æris ſingulis ad emendos equos data ex publico, & ad eos alendos duo millia in annum conſtituta, viduæ equitibus attributæ, quæ annuam pecuniam penderent. Tullus perfecto cenſu edixit, ut pedites equiteſque ſuis quiſque ordinibus prima luce ſibi in campo, qui poſteà Martius co- E
gnominatus eſt, armati adeſſent, vincula, & mortem comminatus, ſi quis dicto minus audiens eſſent, inſtructum ibi exercitum Servius recognovit, luſtravitque ove, ſive tauro: Dionyſius pro ſue hircum ſcripſit. Id Romani conditum luſtrum dixere, quia cenſendi ſic tum finis factus, cenſa ſunt octoginta civium millia. Fabius Pictor virorum, qui arma ferre poterant, eum fuiſſe numerum prodidit. *Sabellicus lib.* 5. *Enneadis ad* 2. *Tubero in Hiſtoriarum primo* ſcripſit, Tullum cùm illas quinque claſſes juniorum cenſus faciendi gratia inſtitueret, pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptendecim: atque inde anno decimoſeptimo, quos idoneos jam eſſe Reipublicæ arbitraretur, milites ſcripſiſſe: eoſque ad annum quadrageſimum ſextum Juniores, ſupraque eum annum Seniores appellaſſe. *Gellius lib.* 10. *cap.*28.

Cùm duo ordines, Plebis ſcilicet, & Senatorius, Romæ à principio editi fuiſſent, Equeſtris ordo, qui medium teneret locum, poſteà adiectus eſt: quibus purpura, ut patriciis, & ſenatoriis, uti non licebat: jus tamen annulorum aureorum, quo inſignia à plebe ſecernebantur, & medius ordo notabatur, publicè tributum ferunt. Quod quidem F
jus non equitibus modò, tanquam bellicæ virtutis inſigne, ſed & ſenatoribus, & militiæ primoribus datum fuit. Istamen ordo etſi ſenatorio minor, magnæ tamen amplitudinis, vigoriſque habitus eſt: quippe erat auctus ampliſſimis honoribus, & ſenatorio penè par. Nam cùm à principio originum, ejecto Tarquinio, & depulſo metu regio, in libertatem ſe urbs vindicaſſet, Brutus primus ex equeſtri ordine Senatum ſupplevit, trecentoſque delegit Senatores, quorum conſilio, & auctoritate niterentur. Lapſis deinde temporibus, C. Gracchus Tiberii frater, & haud multo poſt Livius Druſus Tribunus plebis, uberiori compendio eum aliquando ordinem cum ſenatorio confundere decreverunt: utque plus dignitatis ferret, ut in Senatum venire, & ſententiam dicere liceret, lege ſacrata, deinde plebiſcito ſanxerunt. Cœpit etiam in Senatuſconſultis poſt populum Romanum equeſter ordo adiici, ita ut Senatus, Populuſque Romanus, & equeſter ordo publica decreta, edictaque teſtarentur. Eoque dignationis ordo proceſſit, ut Mecœnas equeſtri gradu velut ampliſſimo faſtigio contentus, ad ſenatorium tranſire non curavit. Cui poſteà ſequuti Cæſares, laticlavum, diſtinctum tamen à ſenatorio velut honoris ornamentum tra- G
didere. Cautum que fuit, ne quis huic ordini aſcifceretur, neve jus annulorum aureorum daretur, niſi ipſe ingenuus, pater, & avus ingenui forent, cuique ſeſtertia quadringenta, quod peculium equeſtre habitum eſt, cenſus fuiſſet, quod etiam Tiberii edicto cavebatur. Flos ordinis equeſtris Fabius Rutilianus inter ornatiſſimos fuiſſe proditur, qui magiſter equitum cum Papyrio Curſore adverſus Samnites militavit. Quo tempore, perpetuo Senatuſconſulto cautum fuit, ne cui pater, avus, aut maritus, eques Romanus fuiſſet, quæſtum ſui corporis faceret, aut indignis artibus ſe pollueret. *Alex. lib.* 2. *cap.*29. Equites apud Romanos ſerò tandem, M. Tullii patrocinio, tertium corpus in Republica facti ſunt, medii inter plebem, atque patres. Sub Romulo Celeres appellati, deinde Flexumines, poſteà Troſſuli, capto oppido Tuſcorum ejus nominis, ſine ullo peditum adiumento. Gracchi primi omnium ordinem hunc Judicum appellatione ſeparari inſtituere, in contumeliam Senatus. Poſt eos auctoritas nominis circa publicanos ſubſtitit, & aliquamdiu attritæ vires publicanis fuere, ad Ciceronem uſ- H
que. *Plin. lib.* 33. *cap.*1.

Apud Chalcidenſes tanta ratio peculii habita eſt, ut qui eſſent locupletes, Equitum nomina ferrent. Cretenſes quoque equitum ordinem, & vetuſtate, & dignitate longè præcipuum, in magno pretio habuere. Achæis equeſter honor, velut præcipuo ſemper munere præcelluit, ſicut Germanis, qui Batavi dicuntur. Et Capuæ equitibus plerumque eſt honos habitus, quibus civitas data eſt, quòd bello Latino à Romanis non deſciviſſent. Maximæ verò celebritatis apud Gaditanos hic ordo fuiſſe traditur. Siquidem uno cenſu quadringenti Gaditani bello egregii, hujus ordinis cenſi traduntur. Qui etiam numerus in equeſtri dignitate Patavii fuiſſe proditus eſt, *Teſte Strabone libro* 3. *&* 5. *Alexandro libro ſecundo, cap.*29.

Nero Cæſar ordinem Auguſtanorum equitum primus inſtituit, reliquis per eum ordinibus offenſis, & ferè deſtitutis, *Idem ibidem.*

Paulò

Paulò ante obitum suum Lybussa, Premislai Boemorum ducis uxor, discreto per ordines populo, nobilibus quidem magistratus, atque honores capiendi potestatem fecit: colonos verò, & opifices intra suam quemque eorum pelliculam continere se jussit. *Dubravius lib.*2.

Sinarum populi in India Regem quasi quoddam cælestem numen colunt: qui tamen raro admodum se conspiciendum exhibet. Respublica in tres partes est distributa. Principatum ii, qui in disciplinis, & juris studio valdè profecerunt, obtinent. Secundus honoris gradus militibus affignatur. Postremi ordinis sunt, qui artes fabriles colunt. In studiis quantum quisque profecerit, judicio eorum, qui maximis artibus præsunt, examinari solet. Sunt autem ordines horum judiciorum gradatim instituti, ita ut ei, qui infimi ordinis approbationem consequutus est, si velit ad altiorem locum dignitatis aspirare, sint graviora doctiorum hominum judicia subeunda. Qui plurimis, & doctissimis probatus extiterit, is ampliores in Republica honores consequitur. *Osor. lib.*11. *rerum Emmanuelis.*

Ætatis.

Persarum ad centum, & viginti millia ferunt esse. Horum nemo lege ab honoribus magistratibusque reiicitur, sed cuivis jus est liberos suos ad justitiæ magistrorum ædes publicas mittere. Mittunt autem, qui alere liberos suos in otio possunt. Hoc qui præstare nequeunt, non mittunt. Eis sanè, qui publicos apud magistros instituti fuerint, post 16. annum ætatis inter ephebos adolescentiari licet: id quod illis haud fas est, qui institutionem hanc non sunt adepti. Qui autem inter ephebos ea, quæ præscripta legibus sunt, constanter præstiterint, eis vigesimosexto ætatis anno virorum in contubernio agere licèat, ac magistratuum, dignitatumque participes fieri. Sin qui vel inter pueros, vel adolescentes non vixerunt, hi ne perfectorum quidem in numerum admittuntur. Quòd si qui porrò inter perfectos inculpatè se gesserint, ii post annum L. feniorum in ordinem cooptantur. Atque hoc modo seniores constituuntur, qui omnibus in pulchris, honestisque rebus versati fuerint. *Xenoph. lib.*1, *Pædiæ.*

Opulentiæ, Paupertatis.

Solon Athenienſium Legislator cùm Magistratus omnes penes locupletes, ut ante, statueret relinquere, reliqua autem munia Reipublicæ, quorum plebs exfors erat, facere promiscua: censum civium egit. Ac quorum facultates aridorum simul, & liquidorum fructuum mensuras quingentas redderent, hos primæ classis fecit, vocavitque Pentacosio medimnos. Secundæ classis eos, qui CCCC. medimnorum, qui equum alere aut trecentas valerent effidere: atque hos ordinem equestrem nuncupaverunt. Hi principio fuere DC. post aucta civitate, M. CC. Unde in festivitatibus, & pompis eorum sacrificia θοίνια ἱππάδων dicebantur, id est, equestria sacra, eisque licuit honores petere, comam alere. Zeugitæ, seu Zygitæ, quasi opifices, tertiæ classis cives dicti, quibus modus utriusque generis simul erat ducentarum: quorum bini, si opus esset, unum equum præberent. Reliqui omnes appellati Thetes, id est capite censi. His nullum magistratum permisit: cæterum hactenus in societatem veniebant hi Reipublicæ, ut suffragium in concionem, & calculum haberent in judiciis: quod initio nihil esset, tractu apparuit ingens. Quippe magna controversiarum pars recidit ad judices. *Plut. in Solone,* & *Suidas in voce ἱππεῖς.*

Symmoriæ Athenis erant velut tribus, aut classes, in quas dites modò, quique conferendis suffiecrent tributis, comiciebantur: unde symmoriæ, ceu contribules. Extat Demosthenis oratio περὶ συμμοριῶν. In Symmorias distributi Athenienses sunt, Nausinico Rempublicam gerente, quod Philochorus scribit, & in Lexico rhetorico reperit Harpocratio, ut de Suida taceam. *Cælius lib.*12. *cap.*19. *A. L.*

Theticus ordo Athenis erat quartus, census ratione: nam principe loco fuere pentacosio medimni, à medimnis quingentis: velut quingeni medimni, qui necessitate urgente, talentum pendebant, id est, aureos sexcentos, aliàs tributi expertes erant Athenienses, ut indicat Thucydides. Dicebantur autem sic, quòd tot terræ metra, id est, mensuras ararent. Secundi ordinis habebantur ἱππεῖς, id est, equites, quoniam alere equos possent: hi metra urabant trecenta, semitalentum pendebant Zeugitæ metra colebant ducenta, ab equis dicti jugalibus, minas hi decem conferebant. Theticorum postremus erat locus, qui opifices intelliguntur, ab gerendis magistratibus semoti, & tributorum exfortes. *Cælius l.*25. *c.*18. *A. L.*

Servius Tullus Romanorum Rex populus Romanus in sex classes divisit. Prima classis erat eorum, qui centum millia assium in censu haberent, aut plura: tametsi illo rege census maximus fuit CXM. ut tradit *Plinius lib.*33. Secunda, qui census intra centum, & septuaginta quinque gravis æris millia essent professi. Tertia eorum, qui quinquaginta. Quarta, qui quinque, & viginti millia. Quinta, qui undecim millia. Hic una centuria fuit immunis militia, tenujum hominum, proletariorum, & capite censorum. Proletarii erant, qui mille, & quingentos asses in censum deferebant, plus minus: qui solum in civitate sufficiendæ proli, nulli alteri viderentur vacare publico muneri: unde à prole proletarii nuncupati. Capite censi tenujores erant, qui 375. assès haberent in censu: qui quoniam pecunia non viderentur censi, capite suo censebantur, numerum civium augentes. Hæc duo hominum genera immunia fecit militia Servius Tullus, non quod arma ipsis tuto non committerentur, aut quòd nullum haberent velut obsidem in patria, qui pro eodem forti opera sponderet, qualem putabant vel præcipuam pecuniam: sed quia bellicos sumptus ferre non possent. Illis enim temporibus milites de suo se alebant. Fieri potest, ut post tributum institutum vetus mos remanserit, & causæ, cur illi homines non militarent, tales sint populo Romano visæ, qui omnia pecunia metiebatur. Nam eas Valerius, & A. Gellius reddunt. Proletarii jam aliis temporibus militarunt: capite censis primus arma dedit C. Marius bello Jugurthino: *teste Salustio,* & *Valerio.* Idem *Quintilianus* tangit *in milite Mariano.* Hinc ipse Marius Imperator Capitecensus nuncupatus est. *Vives in lib.*3. *Augusti de Civit. Dei, c.*12.

Qui in plebe Romana tenuissimi, pauperrimique erant, neque ampliùs quàm mille quingentum æris in censum deferebant, Proletarii appellati sunt: qui verò nullo, aut perquàm parvo ære censebantur, Capitecensi vocabantur. Extremus autem census capite censorum, æris fuit 385. Sed quoniam res, pecuniaque familiaris, obsidis vice, pignorisque apud Rempublicam videbantur, amorisque in patriam fides quædam in ea, firmamentumque erat: neque Proletarii, neque Capitecensi milites, nisi in tumultu maximo, scribebantur, quia familia his aut tenuis, aut nulla esset. Proletariorum tamen ordo honestior aliquanto & re, & nomine, quàm Capitecensorum fuit. Nam & asperis Reipublicæ temporibus, cùm juventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur, armaque iis sumptu publico præbebantur, & non capitis censione, sed prospertore vocabulo, à munere, officioque prolis edendæ, appellati sunt: quòd cum re familiari parva minus possent Reipublicam juvare, sobolis tamen gignendæ copia civitatem frequentarent, Capitecensos autem primus C. Marius, ut quidam ferunt, bello Cimbrico difficili limis Reipublicæ temporibus, vel potius, ut Salustius ait, bello Jugurthino, milites scripsisse traditur, cùm id factum ante, in nulla memoria extaret. *Gellius lib.*16. *cap.*10. *Noct. Att.*

Apud Romanos Classici dicebantur cives, κατ' ἐξοχὴν, primæ classis homines, qui CXXV. millia æris, ampliusve censi erant. Infra classem autem appellabantur cæterarum omnium classium, qui minore summa æris censebantur, *Gellius lib.*7. *cap.*13.

Nobilitatis.

☞ *Nobilitas splendorem significat nominis, comparatum meritis, vel propriis (sic juxta Satyricum —— nobilitas sola est, atque unica Virtus) vel alienis, quàm Græci δόξαν dicunt, & Aristoteles esse definit antiquam majorum virtutem. Utrovis modo distinguuntur Nobiles à Plebeiis, quatenus Reipublicæ sunt partes: non secus atque in humano corpore membra, seu partes Principes à Non principibus.*

Ægyptii, Græci, Scythæ, Perse, & Lydi, omnes, qui artificio incumberent: pro ignobilibus ducebant: qui verò militiæ, generosos. *Alex. lib.*5. *cap.*18.

Nobiles Romæ dicebantur, quorum Patres, aut Majores Magistratum curulem gesserant: & Novis hominibus opponebantur, sive ii Patricii essent, sive plebeii. Sed cùm duas hasce subjectas species haberet nobilitas, accidit, quòd in aliis plerisque, ut altera species generis sui nomen retineret: & speciali, ac proprio nomine Nobiles dicerentur, qui plebeiæ gentis cum essent, Majores tamen curulibus Magistratibus honoratos habuerant. Itaque Pedianus perspicuè, ac dilucidè Patricios à Nobilibus distinguit. *Hotoman. de verbis juris.*

Romanorum patricii lunulas in pedibus habebant, hoc est, fibulas eburneas corniculantes instar lunæ, quod à Numa institutum ferunt, (*Alexand. lib.*5. *c.*18.) ne nimis extollerentur indulgentia fortunæ faventis: sed admonerentur instabilitatis rerum humanarum: exemplo lunæ, quæ modò clarissima nitet orbe pleno, modò omni splendore viduata, ad nihilum redit. *Guido Bitur,* Non sine specie proverbii Ciceroni dictus est mutasse calceos, qui nullo suo merito senatoriam dignitatem usurpavit, cujus insigne erat nigro calceo addita lunula circa talum. M. Tullii verba sic habent: Est etiam Asinius quidam senator voluntarius, lectus ipse à se. Apertam vidit curiam post Cæsaris mortem, mutavit calceos, pater conscriptus repentè factus est. Quemadmodum clavus aureus in toga signum erat senatoriæ dignitatis, ita nigra aluta circa talos addita declarabat eandem dignitatem. *Eras.*

Neapolitani, qui præ cæteris Italis nobilitatem præ se ferunt, eam in desidia, atque ignavia collocare videntur. Nulli enim præterquam inerti otio intenti, ex suis possessionibus vitam degunt. Nefas est nobili, rei rusticæ, aut suis rationibus cognoscendis operam dare. Sedentes in atriis, aut equitando tempus terunt. Etiam si improbi fuerint, dummodò prisci domibus orti, se nobiles profitentur. Mercaturam ut rem turpissimam, vilissimamque exhorrent, adeò fastu nobilitatis tumentes, ut quantumvis egenus, atque inops, citius fame interiret, quàm filiam vel opulentissimo mercatori matrimonio collocaret: mavultque furtis, & latrocinio, quàm honesto quæstui vacare. Scio, virum quendam equestris ordinis, genere, atque opibus præclarum, quòd aliquando, ut patremfamilias decet, vina ex variis prædiis collecta simul vendere esset solitus, pro mercatore velut infamem habitum, filiam etiam grandi dote vix nuptui dare potuisse, adeò mercaturæ nomen apud ignaros, atque inertes turpe, atque obscœnum putatur. Hinc contraria est Venetorum consuetudo, inter quos nobilitas veluti factio quædam à reliquo populo distincta, mercaturam omnem exercet, ea quoque equestris ordinis insignio potitur. Omnes enim, qui Reipub. muneribus funguntur, quique ex ordine senatorio sunt, nascuntur, atque appellantur nobiles. Romani qui appellantur nobiles, mercaturam ut rem vilem, atque abiectam contemnunt, cultui agrorum, & rei rusticæ vacare, gregis, atque armentorum curam gerere: re pecuaria opes quærere, quæstum honestum, & viro nobili dignum putant, idque eis, qui possunt agere, etiamsi recenti sint familia, hoc lucri genere patefit aditus ad nobilitatem. Est apud hos honesta, licèt rusticana nobilitas, longè distans à Neapolitana. Angli nobiles in civitatibus morari ignominiæ loco putant, rura, sylvis, ac pascuis seclusa, inhabitant, nobiliorem ex censu judicant, rem rusticam curant, vendentes lanam, & armentorum fœtus, neque turpe existimant admisceri quæstui rusticano. Multos quoque aliquod præstans in bello facinus, acceptis à principe donis, nobilitavit. Hispania duplici nobilitate utitur. Nam & qui in suis civitatibus antiquo genere orti cæteris præsunt divitiis præditi, & qui in campis commorantes nutriuntur ex prædiorum censu, cum ornatiore quodam vivendi ritu, quo cæteris præstent, nobilium nomen tenent. Hos inter omnes equester ordo primum nobilitatis locum habet. Apud Græcos quicunque ad Imperatoris aulam vocati servitio ejus insistunt, quantumvis abiecti generis ob principis consuetudinem ad famulatum, nobilitatis titulo potiuntur, appellanturque deinceps nobiles, Ægyptiis, ac Syris nulla habetur, nisi eorum qui militæ deduntur, qui soli excellunt, ac dominantur, reliquis servorum loco habitis. At hos omnes constat esse emptitios servos, qui postmodum præfecturas equitum, provinciarumque sortiti, usque adeò fortunæ beneficio efferuntur, ut ex eis potentior regnum occupet, viribus armorum fretus. Turcas & superiores Sarmatas arma nobilitant. Nam ordines ducunt, ditati prædiis nobiles dicuntur, & ipsi quoque ex servitio majori ex parte ad militiam asciti. Pueri enim empti pretio militiam condiscunt, in qua excellere parit nobilitatem. *Poggius in Nobilitate.*

Apud Turcas nullum est discrimen generis, ac nobilitatis longa ex serie majorum: sed qui fortior in bello præclariores res ediderit, generosior, ac nobilior cæteris habetur (quod, & apud Romanos observatum est) præmiaque plura, & majora fortitur, quò qui strenuè magis manum cum hoste conseruerit. Ob id jussi per æqua, & iniqua vadunt præcipites, profunda, & vorticosa tranant flumina, abruptos superant montes, non vitæ, sed Imperii memores. Pervigilii, inediæ, laborum omnium tolerantissimi. Rara seditio inter eos, rarus tumultus: qui mox si acciderit, mulctatur tumultus auctor. *Cuspinianus A. D.*

Auctoritatis.

Scythis, & Thracibus, qui in otio degunt, honestissimi habentur, qui prudentia, & auctoritate anteibant cæteris.

Libertatis.

Triplex in civitatibus conditio, Servilis, Libertina, & Ingenua. Ingenuorum triplex ordo, Plebejus, Equester, & Patricius. *Sabellicus.*

Ingenuus est is, ait Imp. qui statim, ut natus est, liber est: sive ex duobus liberis matrimonio editus est, sive ex libertinis duobus, sive ex altero libertino, & altero ingenuo, de Ingen. in princ. *Hotoman. de Verbis juris.*

Græcis dissimiles, & longè dispares libertatis specie fuere: siquidem non pari libertate fruuntur, aut vectigali, & tributo premuntur omnes: quippe Tenedii, & Hæmii vectigales erant: Chii tributorum immunes, & liberi, navibus tantummodò præstandis obnoxii: Cythera Laconiæ insula hoc tantùm premebatur onere, ut è Sparta præfectum quotannis acciperet, ad reddendum jura: Lacones præter amicorum ministeria aliud nihil tributi nomine pendebant. *Alexand. libro* 4. *cap.*10.

Proditum memoriæ est, cùm in dubium veniret, qui liberi essent populi, quive stipendarii, à M. Antonino Imp. Publicos tabellarios institutos, ut si in provincia quispiam causam liberalem diceret, per eos testationes libertatis, & alia immunitatis documenta Comam ferrent. Minorem verò libertatem, seu mediam, ii assequi dicebantur, qui manu à prætore missi, non Romani cives, sed Latini nominis tantùm, ex lege Junia Norbana fiebant: vel suprema voluntate Domini testamento, si eum hoc expresso manumisisset: aut si inter amicos dextra apprehensum, ad se convertens, liberum esse jussisset. Hi enim his immunitatib. quæ Latinis populis societate, fœdere junctis indulta erant, fungebantur: nam & in urbe ut Latini censebantur: & in castris ut milites ex Latinis colonis, non ut externi, aut levium armorum auxiliarii, stipendia merebant. Fuitque observatum, ut qui jus civitatis haberet, si Latinas colonias incoleret, non ideò solum vectigalis esset, aut jus civitatis amisisse putaretur. Et quamvis in Romanis castris, qui militabant, si quid deliquissent, si externi flagellis & virgis, si verò Romani cives forent, vitibus cæderentur: tamen Livius Drusus, & C. Gracchus tribuni pl. ne liceret quempiam Latini nominis virgis afficere, sed vitibus, plebiscito sanxerunt, in hac re Latinos populos Romanis coæquantes. Tertiam denique libertatem, quam minimam dixere, assequuntur hi, qui manumissi, nec civitatem, nec jus Latii habentes, dedititiorum numero censentur: qui nullis privilegiis fulti, viventes liberi erant, & veluti ingenui munia publica, privataque obire, magistratusque, & cætera dignitatis ornamenta, quæ libero debentur, assequi poterant: morientes autem, vitam unà, & libertatem amittebant: ideò decedentes, neque testari poterant, neque post obitum de bonis disponere, præter patroni voluntatem, adeo ut eorum bonis, quasi servi peculio, manumissores potirentur. Quod etiam cum Latinæ libertatis nominibus multi commune dixerunt. Fuere autem deditizii, qui victi armis, & in fidem recepti, tantum ne servirent, neve sub mancipio essent immunes facti sunt: cujus etiam generis feruntur servi, qui post admissa crimina, suppliciis subditi, aut publicè pro criminibus cæsi, vel in quorum facie notæ servitutis impressæ fuerant. Diuque hæc discrimina libertatum, & dissimiles species fuere: donec sequuti principes, pertæsi multiplices, variasque libertates dari, veteribus legibus abrogatis, novisque adscitis, & cooptatis, exæquato omnium jure, statuerunt, ut manumissi apud prætorem plenam assequerentur civitatem, & libertatem, unde abusus invaluit postea, depravatis moribus, ut multi servi per rapinas, & furta quæsitis pecuniis libertatem à Dominis emerent, statimque liberi, & cives Romani fierent. *Alex. lib.*4. *c.*10.

GENTIS PATRIÆ.

A Italiæ populi ex Arcadibus, Trojanis, Sicanis, Gallis, Græcis, Gotthis, Hunnis, Vandalis, Herulis, Longobardis, Pœnis, Normannis misti sunt, & confusi. Itaque colluvies quædam omnium gentium de Italia triumphantium in Italia fæcis instar resedit, & pulcherrimam regionem sibi parere coegit. *Jo. Bodi. Meth. hist. c. 9.* Sed ex hæc fæce spiritus generosos admodum summus ille Chymista Deus per multos jam annos elicuit.

Quadorum regionem cùm Lechus frater Czechi occupasset, eam Poloniam à campestri planitie, quam vernacula lingua Pole dicunt, appellavit: duravitque illi hoc nomen, quamdiu sub ditione Polonorum fuit. Postremò Boemi illam nacti, cùm viderent præter Polonos, Misnios quoque, ac Pomeranos, Marchitasque, & aliam miscellaneam turbam illò velut irrepere, à serpendo Slesitas nativo suo sermone appellare cœperunt. Nunc Sylesitæ vocari malunt, patriamque Sylesiam. *Dubravius lib. 8.*

MUNICIPES, COLONI.

B Differt Colonia à Municipio, quia ex civtate colonia alio traducitur, municipes verò aliunde in civitatem veniunt. In quo animadvertendum, plura fuisse Coloniarum genera: namque aliæ Latinæ, aliæ civium Romanorum dictæ sunt, aliæ ex utrisq; nonnullæ ex peditibus, vel equitibus, cùm in agrum bello captum stirpis augendæ causa mittebantur: siquidem Bononia, colonia Latina fuit, & Luca: Mutina, & Parma civium Romanorum: Placentia equites solos habuit Latinos: licèt Cicero Placentiam municipium, non coloniam dicat esse. Eratque constitutum, ut singulæ coloniæ annuam pensionem populo Romano penderent, tametsi Livius Drusus trib. pl. duodecim colonias sine onere pensionis deduxisse legatur. *Cel. l. 16. c. 13. & Alex. l. 4. c. 10.*

Venetos Celtarum populos à Venetis Paphlagoniæ stirpem traxisse, perspicuum est: eos verò qui sinum Adriaticum tenent, à Venetis Celtarum derivat. *Strabo lib. 5.* tametsi Livius aliter sentiat. *I. Bodin. Meth. hist. cap. 9.*

POLITIARUM FORMA IN PARTICULARI.

C COMMUNITAS POLITICA PRIMARIA. NIMIRUM: IMPERII, MAGISTRATUS:

RATIONE HABITA EORUM QUI
PARTICIPANT QUANTITATIS.
SIC IMPERIUM EST PENES
Unum, Puta in
Regno.

Sub id tempus, quo regnum Israelitarum à Samuele propheta est in Syria constitutum, aut certè non multo prius, in ea parte Europæ, quæ Apie primò, mox Pelasgia, novissimè Peloponnesus est dicta, Sicyniorum regnum esse desiit, cum annos duos, & sexaginta supra octingentos effet illic regnatum, Leuxippus sextus, ac vigesimus ab Ægialeo, qui id regnum condidit, omnium postremus ibi est rerum potitus. *Sabellicus libro 8. Enn. 1.*

Primæ regni Italiæ origines à Longobardis inductæ, acceſsiones à Francis adiunctæ sunt: quæ relinquuntur omnia, be-
D neficio Germanorum debentur: qui rerum Italicarum potiti, vetera Francorum instituta magna ex parte retinuerunt, regnumque ipsum novis institutis, ac legibus temperarunt. *Sigonius l. 7. regni Italici.*

Tyrannide.

☞ *Ex locis Tyrannorum huc pleraque omnia.*

Paucos. Ut in
Aristocratia.

Thebæi tempore Nini Assyriorum regis imperabant Ægyptiis, quorum dominatus δυναστεία dicebatur, aristocratiæ similis, quòd potentiores, nobiliores que Remp. administrarent, *Eusebius circa annum mundi* MMMCLXXXV.

Rhodii plebis curam habent, non tamen à plebe gubernantur, sed retinere pauperum multitudinem volunt; plebs itaque ab eis nutritur. Nam divites patria quadam consuetudine pauperes accipiunt: pauperes verò ab illis enutriti, munera quædam civitatis peragunt. Unde simul & ipsi victum habent, & civitas necessariis ministeriis non fraudatur, præsertim ad res navales. *Strabo lib. 14.*

Massilienses rem urbanam per optimates, & Aristocratiam regentes, omnes legum æquitate superant, consilium &c. ex E viris instituentes, qui quoad vita superst, id honoris genus habent, quos κριτὰς, id est, honore præditos, appellant. Quindecim verò senatus sunt principes: quibus quæ in dies accidunt moderari, ac regere datum est. Rursum ex hisce quindecim tres sunt Præsides, quibus plurimum potestatis attribuitur. Verùm ex his nemo timuchus creatur, nisi liberos habeat, & de civium sanguine tertiam per generationem ortus sit. Eorum leges Jonico more sunt publicè propositæ. *Strabo libro 4. Geographiæ.*

Omnes. Videlicet in
Democratia.

Nullam novimus popularem Remp. magnos habuisse progressus, Athenienſibus exceptis, qui & præcipua quadam prudentia cæteris Græcis præstiterunt, & suas religiosissimè omnium leges observarunt. *Pausanias in Messenicis.*

QUALITATIS, RESPECTU
Professionis.

Thebanis lex data est, ut ad publica munera nemo accedat, nisi annis x. à mercimoniis cessarit. Adeò exosam habuerunt F usuram, quam Reip. pestem esse putabant. *Alex. lib. 4. c. 6.*

Civitas.

Pericles, Athenienſium dux, legem scripsit, ut nemo ad gubernandam Remp accedere permitteretur, nisi qui utroque parente cive natus esset, quem tamen ipsum legis ultio tetigit. Nam duo filii Paralus, & Xantippus, cùm peste absumerentur, legitimo thoro nati, nothi superfuere tantùm, quibus Remp. administrandi potestas patris lege erepta erat. *Ælianus lib. 6. de Varia historia.*

Lege Papia fuit Romæ constitutum, ut nemo ad honores, magistratusve admitteretur, nisi civis esset, aut civitate donari anteà meruisset. Propterea Perpennæ probro obiectum fuit: falsoque consul fuisse creditus est, quòd contra legem Papiam, priusquam admitteretur ad civitatem, consul factus esset. *Alex. lib. 4. cap. 22.*

CONSILII, SUFFRAGII.

Non omnes, qui in civitatem Rom. adsciti erant, protinus suffragii jus in tribus habuerunt, vel ad magistratus, & hono- G
res admitti sunt: quia nisi jus suffragii à populo his impartiretur, atque in tribus admisti, descriptique fuissent, ad dandos honores, promovendosque magistratus, jus suffragii non habebant: siquidem multis dabatur civitas, sine suffragio, plerisque jus Quiritum, nonnullis libertas, aliquibus jus municipii, & fœderis, pluribus jus Latii: alii tanquam coloni, alii stipendiarii, & vectigales habiti, nonnulli sponsione in amicitiam recepti fuere. *Alex. lib. 4. cap. 10.*

In quatuor urbanas tribus Q. Fabius Rullus omnem forensem factionem Censor coegit: quod adeò populo gratum dicunt fuisse, ut ex hoc Maximi nomen assequi meruerit. Lapsis inde temporibus, cùm Cn. Manlius tribunus plebis pernicio- sissimas leges ferre vellet, ut libertinis in omnibus tribubus adscribi, & suffragari liceret: ita à Cn. Domitio prætore truci oratione confractus fuit, ut sublata rogatione, turpissimè destiterit. Demum Clodius tribunus plebis, dum intensis animis patricios insectatur, ut libertini, qui in tribus solùm tribubus suffragia ferebant, in urbanis quoque, quæ ingenuorum sunt, suffragari possent, legem tulit & promulgavit: quod aliquandiu mansit. *Alex. l. 1. c. 17.* H

JUDICII.

☞ *Ex Tit. Judicii. Qui legantur, huc quædam, diverso tamen respectu.*

COMMUNITAS POLITICA SECUNDARIA.
Huc pertinet Communitas
SOCIETATIS CIVILIS.
Civitatis jus, vel
DATUM.
Quibus. Verbi causa
Peregrinis.

Ex quo Romani in regni societatem, & in civitatem Italos vocarunt, decretum est, & Gallis Cisalpinis, & Venetis idem honoris impartire, universosque Italos Romanos vocare. *Strabo lib. 5. Geographiæ.*

Claudius Cæsar multas barbaras gentes donavit civitate Romana:

Romana: dicens, nihil magis fuisse Lacedæmoniis, & Athe-
A nienſibus exitio, quàm quòd in societatem civitatis nunquam recepissent, quos vicissent armis. Mox sub Hispanis, & Afris, & Thracibus, & aliarum nationum Cæsaribus paulatim integræ provinciæ, & totum denique imperium donatum est jure civitatis Romanæ. Et cùm initio reliqui omnes præter Græcos dicerentur Barbari, etiam Romani ipsi jam domini, post Latini, & Itali, ea sunt nota exempti, donatis provinciis omnibus civitate: illique soli nomine barbari sunt notati, qui sub Romano imperio non essent: & hic est sensus Herodiani, Spartani, Eutropii, & recentiorum historicorum, cùm de Barbaris loquuntur. Ita Rhenus duas dicebatur habere ripas: hanc citeriorem Romanam, illam ulteriorem Barbaram. Donatis civitate multis gentibus, etiam in senatum ex illis complures sunt ascripti, fueruntque senatores, tametsi Romam nunquam venissent, ut cives, alii, qui Romam nunquam viderant.

Anno Sal. 1342. Venetæ urbi, præcedente terræ motu nova vis pestilentiæ inguinariæ incubuit adeò lethalis, ut ex omni languentium numero vix centesimus quisque mortem evase- rit. Ex Scythia primum orta dicitur, inde per oram Pontici
B maris, & Hellespontum grassata, per Græciam demum, & Illyricum Italiæ insinuatur. Hanc credo esse pestilentiam, quæ Italiam humano cultu insigniter deformavit, Veneti in tam fœda urbis vastitate edictum proposuere, ut quicumque hominum Venetias cum conjuge, & liberis peterent habitandi causa, perseverarentque biennio in novo incolatu, pro civibus haberentur. *Sabellicus lib. 8. Enneadis 9.*

Exulibus, Artificibus.

Solon peregrinos Athenienſium recipi civitate vetat, nisi qui sint in perpetuum exilium patria sua exacti, aut cum toto domicilio Athenas artis suæ exercendæ gratia commigraverint. Quod statuisse ferunt eum non tam summovendorum causa alienigenarum, quàm invitandorum Athenas, spe certa in communicationem se venturos civitatis, simul fidos existimans fore hos, quòd consultò, illos quòd coacti patriam suam repudiavissent. *Plut. in Solone.*

Quo modo. Nimirum
Mercede.

Byzantini, cùm lex esset: ne quis admitteretur civis, qui non esset parente utroque cive natus, fanxerunt. Quicunque esset
C solvendo libras triginta, fore civem. *Arist. in Oecon.*

Samii à tyrannis exhausti, ob paucitatem civium, jus civitatis quinis stateribus servis concesserunt, ut tradit Aristoteles in Republica Samiorum. Unde proverbium, Samiorum populus, de ignobili plebe, *Suidas.*

Meritis.

☞ *Vide Tit. Civitatis jus Honoris ergo datum.*

NON DATUM, DENEGATUM.
In genere.

Civitatem à principio parcissimè populus Romanus dabat, Quippe Crassio, & Scævola Consulibus, ne jus civitatis in colluvione, & quasi promiscuum foret, cautum fuit, ne hi, qui cives Romani non essent, pro civibus fierent. *Alex. lib. 4. c. 10.*

In specie. Ratione scilicet
Natalium.

D Pericles legem tulit, ut hi solùm in civitatem reciperentur, qui utroque parente Athenienſi cive nati essent. Cujus inhumanitatis pœnas luit, utroque filio pestilentia orbatus sic, ut pro magno habuerit negotio, lege abolita spuriis quoque ex peregrina natis muliere jus civitatis conciliare. *Plut. in Pericle.*

Vitæ, Morum.

Sub ipsam Venetæ urbis originem, cùm undique magnis pollicitationibus ad novam urbem incolendam homines, rei maritimæ, navalisque fabricæ periti, accenſerentur: neque servilis fortunæ quenquam, neque sicarium, scelestumve aliquem in eam receptum affirmant. Ex quo manifestè apparet, viros illos optimos, urbis conditores, nolluisse nascentem civitatem prava ulla convenarum colluvione contaminari. Quod ipsum non modò non fecerunt illustrium urbium conditores quidam, sed ultrò flagitiosissimum quemque, aperto ad hoc ipsum asylo, in civitatem evocaverunt. Verum illi frequentiæ, hi morum sanctitati, nobilitatique fuæ consultum voluere. *Sabell. lib. 1. Decad. 1.*

Peregrinationis.

Thebani novos incolas, & peregrinam stirpem non admi- E
sere in civium numerum: sed omne jus civitatis, & urbis usum peregrinis interdixerunt, victosque armis pro alienis arcuere. *Alex. lib. 4. cap. 10.*

Lacedæmonii Lycurgi legibus, & Thebani, novos incolas, & peregrinam stirpem non admisere, sed jus civitatis, & urbis usum peregrinis interdixere, victosque armis pro alienis arcuere. *Alexander.*

Solon Athenienſis, præter eis, qui sacra, genus, aut stirpem antiquissimam haberent, jus civitatis nulli peregrino dari mandavit. *Alex. l. 4. c. 10.*

Cùm jus civitatis passim, & sine delectu etiam infimæ sortis hominibus daretur, idque fœdum, neque ex Imperii majestate visum foret: lege Papia cautum est, ut peregrini urbe Romana uti prohiberentur, ad eamque alienigenæ non admitterentur. *Alex. lib. 4. cap. 22.*

Augustus Cæsar magnum existimans, sincerum, atque ab omni colluvione peregrini, ac servilis sanguinis incorruptum servare populum: & civitatem Romanam parcissimè dedit, & manumittendi modum terminavit. Tiberio pro cliente Græco petenti rescripsit: non aliter se daturum, quàm si præ- F
sens sibi persuasisset, quàm justas petendi causas haberet. Et Liviæ pro quodam tributario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit: affirmans, se faciliùs passurum fisco detrahi aliquid, quàm civitatis Romanæ vulgari honorem. *Suetonius.*

Claudius Cæsar prohibuit, peregrinæ conditionis homines gentilia Romanorum nomina assumere: civitatemque Romanam usurpantes, securi percussit. *Alex. libro 4. capite 10. ex Suetonio.*

Servituti.

Augustus Cæsar, vindex majestatis Romanæ, ne unquam tortus, aut vinctus, ullo libertatis genere civitatem nanciscereturve, edita lege statuit: ipsamque parcissimè, & velut magnum operæ pretium largitus fuit.

EREPTUM, AMISSUM.

ΔΙΑΨΗΦΙΣΙΣ dicitur, quando singulorum municipiorum cives apud Athenienses conveniunt, & clàm suffragia ferunt de peregrinatis suspectis, qui si pluribus suffragiis absoluti G
fuerint, absque controversia civitatem retinent: sin minus, amittunt, eaque jam ἀπο-Δι dicitur. *Suidas.*

Excussio apud Eosdem, quam illi ἀνέκρισιν appellarunt, fuit, cùm eos, qui se pro cive gerebant, aut ut legitimos probarunt, aut ut adulterinos repudiarunt. Solon enim ab initio scivit, ut tam nothi, quàm legitimi filii cives à patribus scriberentur: nothos autem vocavit eos etiam, qui à matre peregrina, non cive Attica, essent suscepti. Unde Themistocles, quia matrem habuit Thracem, pro notho, teste Plutarcho, habitus est. Post annos autem aliquot Pericles, cùm propter magnam auctoritatem, ac potentiam in repub. dominari videretur, legem, ut idem testis est, tulit, ut soli cives Athenienses essent, qui ex duobus civibus Athenienſibus orti essent. Itaque Plutarchus, hac lege lata, cùm quæstiones acerbè in eos, qui se pro cive ferrent, essent habitæ, paulò minus quinque millibus damnatos tradit: quatuordecim autem millia, & quadraginta esse retenta. Addit idem, Periclem ipsum postea, cùm à populo vix impetrasset, ut filium, quem unum legitimis omnibus amissis, nothum habebat, lege solutus in civium tabulas referret, eum H
inter curiales retulisse, ac Periclis nomine affecisse, Suffragia verò scribit Pollux, frondibus, in quibus veros, falsosque cives inscripsissent, tulisse: unde ἐκφυλλοφορεῖσθαι fuit, frondium suffragio civitate movere. Judicia verò populorum talia δίκαι ἐκφύλλοις vocata sunt. *Sigon. l. 2. de rep. Athen.*

Civem Romanum sine auctoritate Senatus, civem esse desinere fas non erat, nisi capti ab hostibus fuissent: tunc enim quoad captivi erant, jus civium, & civitatem amittebant: qui si in urbem posteà redirent, jura civitatis, & libertatis postliminio recipiebant: itaque liberi, & cives Romani fiebant. Fuitque memoriæ proditum, ut quem pater, aut populus vèdidisset, vel pater patratus hostibus dedisset, si ab hostibus receptus, susceptusque fuisset, cum eo nullum postliminium foret. Quòd si is, quem pater patratus devocaverat, receptus non sit, cùi eo postliminium esse, consentiunt omnes: cùm ne deditio, nec donatio sine acceptione intelligi possit. Civitatem Romanam amitti, si Romanus civis urbis alterius jura asciverit, multi censuere, cùm